DE JOHANNE GERSONIO

QUATENUS IN ARTE POLITICA VALUERIT

THESIM

PROPONEBAT APUD FACULTATEM LITTERARUM

E. GUILLON

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS
HISTORIÆ PROFESSOR AGRÉGATUS

PARISIIS

A. COLIN ET C^ie^, EDIDERUNT

1, 3, 5, IN VIA DICTA DE MÉZIÈRES

1888

DE JOHANNE GERSONIO

QUATENUS IN ARTE POLITICA VALUERIT

THESIM

PROPONEBAT APUD FACULTATEM LITTERARUM

E. GUILLON

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS
HISTORIÆ PROFESSOR AGREGATUS

PARISIIS

A. COLIN ET C^{ie}, EDIDERUNT

1, 3, 5, IN VIA DICTA DE MÉZIÈRES

ORNATISSIMO AC LEPIDISSIMO VIRO

E. GOUMY

In collegio Rollinensi quondam magistro

D. D. D.

É. G.

Rollinensis discipulus.

BIBLIOGRAPHIA

I. Opera quæ spectant ad tempora quibus vixit Gersonius.

Joh. Gersonii. *Edidit Ellies Du Pin.* 5 vol. in-fol. Hagæ comitum. Secunda editio, 1728.

Tomus I[us] continet omnia quæ pertinent ad dogmatica opera atque ad religionem et fidem, cum prooemio quodam, sub titulo *Gersoniana*, quo Gersonii et aliorum ejusdem ætatis doctorum vita narratur. — Tomus II, ea quæ pertinent ad disciplinam ecclesiasticam atque regimen Ecclesiæ. — Tomus III, quæ ad moralem scientiam atque ad theologiam, cum pluribus sermonibus. — Tomus IV, orationes solemnes continet et miscellanea. — Tomus V, omnia quæ pertinent ad condemnationem doctrinarum Johannis Parvi.

— Religieux de Saint-Denis. *Chronique de Charles VI.* Ed. Bellaguet. 6 vol. in-4°, 1839-1852, Didot. (Collection des documents inédits sur l'histoire de France.)

— Monstrelet (*Chronique d'Enguerran de*), Ed. Douet-d'Arcq. 6 vol. in-8°. 1857-1862. (Société de l'histoire de France).

— Juvenal des Ursins. *Histoire de Charles VI.* Ed. Michaud et Poujoulat.

— Du Boulay (Bullæus). *Historia Universitatis Parisiensis.* 6 vol. in-fol. Paris. 1676 (tomes IV et V).

— Launoy. *Historia collegii Navarrensis.* 1 vol. in-4°. 1677.

— Maimbourg (P.). *Histoire du grand schisme d'Occident.* Paris. 2 vol. 1678.

— Baluze. *Vitæ paparum Avenionensium* (1305-1394). 2 vol. in-8°. Paris. 1397.

— Lenfant. *Histoire du concile de Constance.* 2 vol. in-4°. Amsterdam. 1714.

— Lenfant. *Histoire du concile de Pise.* 2 vol. in-4°. 1724.
— Labbe. *Collectio sacrorum Conciliorum.* Éd. Venise. 1784. T. XXVII.
— Jourdain (Ch.). *Index chronologicus chartarum ad historiam Universitatis Parisiensis pertinentium.* 1 vol. in-fol. Paris. 1862.
— Histoire littéraire. T, XXIV.

II. Opera que spectant ad vitam, scripta, orationesque ipsius Gersonii.

— Gersonii. *Opera.* Passim.
— Gersoniana, apud Du Pin. T. I.
— Richer. *Apologia pro Gersonio.* 1 vol. Lugduni Batavorum. 1676.
— L'Ecuy. *Essai sur la vie de Gerson.* 2 vol. in-8°. Paris. 1832.
— Faugère. *Éloge de Gerson.* 1838.
— Dupré-Lasalle. *Éloge de Gerson.* 1838.
— Jourdain (Ch.). *Doctrina Gersonii de theologia mystica.* Paris. 1838.
— Schmidt (Ch.). *Essai sur Gerson.* Strasbourg. 1839.
— Thomassy. *Jean Gerson, chancelier de Notre-Dame et de l'Université de Paris.* 1 vol in-18. Paris. 1843.
— Bourret (Abbé). *Essai historique et critique sur les sermons français de Gerson.* 1 vol. 1858.

Ut apparet, consulto omisimus quodcunque pertinet ad Gersonium quoad auctorem *Imitationis.* Hæc enim quæstio, Imitationem utrum scripserit nec ne, multa alia opera genuit.

DE JOH. GERSONIO

QUATENUS IN ARTE POLITICA VALUERIT

PROŒMIUM

Caroli sexti temporibus, quum Gallia gravissimis inauditisque adhuc malis, rege furente, discordibus principibus, invadentibus Anglis laboraret, Universitas Parisiensis visa est scolari umbra silentioque ad forensem lucem strepitumque egredi, regendique curam una cum docendi munere usurpare.

Unde fit ut tales partes Universitas susceperit; quibus verbis Gersonius, Universitatis nomine, utpote cancellarius, seu ante regem in aula, seu ante doctores in Ecclesia, seu ante patres in conciliis sermones habuerit; quo denique animo theologus ille civiles, gallicus romanas, clerus laicas res tractaverit, id referre instituimus. Mirum id enim, ac prope Gersonio peculiare, cum virum qui latebris et pace delectaretur, ut mystico amore ad Deum raperetur, contraria sorte vitæ, in hominum rerumque tumultum incidisse, ita ut, quum nihil tam quæsierit quam in contemplando ætatem ducere, tamen in agendo fortissime atque constantissime vixerit.

Quot et quantæ miseriæ, sub fine quarti decimi sæculi non in Galliam modo, sed etiam in Europam pœne universam ingruerint vix operæ pretium est commemorare. In qua recordatione quum undique bella, pestis, fames, principum

certamina, provinciarum rebelliones apparent, vel in communi damno, Gallia tamen singulari quodam malorum acervo oppressa est.

Ubi enim, propter dementiam regis, primum ad ejus avunculos, Bituriæ et Burgundiæ duces, deinde ad fratrem, Aurelianensem ducem, imperium cessit, hi sibi, non regno inservire, nobiles donis, cleros beneficiis pellicere ; munia, vectigalia, provincias ad se trahere : plebem contra aut ambitionis causa sibi conciliare, aut, pro veteri superbia, vi comprimere.

Nec minor in ecclesiasticis quam in laicis rebus discordia, dum schisma occidentalem Europam divellebat, papæque concurrentes obedientiam gentium ac principum sibi invicem arrogabant ; inde, concussa fide, disciplina contempta, moribus corruptis, gliscere hæresis cœpit.

Quum in tali discrimine se res agerent regni simul Ecclesiæque detrimento, ubi tutela hominum legumque auctoritas reperiretur? Nam status generales deerant, id est trium ordinum conventus, quorum vocem, aliquando molestam, sicut cetera omnia Carolus V pacaverat. Curia Parliamenti Parisiensis litibus judicandis solum dedita, nondum ad causas populares politicasque accingebatur. Postremo, urbani cives, et ut tunc dicebatur, burgenses, nusquam erant qui aut gubernandi curam vindicarent, aut etiam cupidinem exhiberent. Tam multi in discordiis civilibus, seu Stephani Marcelli, seu recentioribus temporibus, ceciderant; atque, si licet Taciti vocabulum usurpare, in illo Annalium proœmio, *quotusque relictus qui pristinum rerum statum vidisset ?* Ita igitur accidit, malo temporum, vitio institutorum, inopia hominum, ut Parisiensis Universitas ad publica negotia sese admoverit.

Si quis forte originem Universitatis, variamque ejus compositionem, propriumque munus spectabit, fatebitur eam ad tales partes non fuisse reservatam. Eam tamen, illis assumendis, ac si assumpsisset, sustinendis imparem fuisse nemo contendet.

Etenim, optimarum artium scientia Universitas eminebat, quæ tunc juris civilis legumque prudentiam amplectebatur. Nullus antea exstiterat doctor, eloquentiæ vel scriptorum laude conspicuus, quin politicam artem tractavisset atque de

instituendis regibus vel de regendis civibus disseruisset. Quum hujus ætatis doctores veterum philosophorum exempla sequerentur atque ex libris Aristotelis aut Tullii amplissimam doctrinam ducerent ; tum longissima controversia inter Germanos reges et summos pontifices de mutua dominatione orta, ditissimam operum segetem attulerat, quibus utriusque potestatis, civilis atque pontificalis, origines, termini, officia exagitarentur. Ad quæ, recentior discordia Bonifacii pontificis cum rege Franciæ, Philippo Pulchro, iteratam scribendi vel disputandi materiam addiderat.

Magna copia est memorandi doctores, præsertim ab undecimo sæculo, qui politica arte claruerint : inter quos S. Bernardus, Johannes Salisberiensis, Vincentius Bellovacensis, Thoma Aquinas, Ægidius Romanus, Guilelmus Ockam, præcipue viguerunt, ut omittam ceteros ac posteriores[1].

Quibus, nullus fama amplior nec scientia copiosior Thoma Aquinate valuit, cujus ex operibus, tanquam ex uberrimo fonte, theologica et politica doctrina manavit, qua omnis media ætas quasi respersa est.

Volve enim *Summam Theologicam*. Considera quid de legibus, de jure, de societate humana, de regimine principum, inter tot alias quæstiones angelicus doctor scripserit. Nempe leges humanas censuit ex ratione oriundas, atque ad id ordinandas ut pace homines perfruantur[2].

« Necessarium fuit ad quietam et pacificam hominum vitam aliquas ab hominibus imponi leges quibus improbi homines metu pœnæ a vitiis cohiberentur et virtutem assequi possent. » (*Summ. Theol.* II. *De lege humana*, quæst. XCV, 2). Leges condere, quem penes sit, si roges : « Cum lex humana

1. S. Bernardi, sparsa aliquot in Epistolis ad Conradum imperatorem atque libri *de Consideratione*. — Joh. Salisberiensis, *Policraticus*, seu de nugis curialium et de vestigiis philosophorum. — Vinc. Bellov, *Speculum doctrinale*, *De filiorum regalium institutione*. — Thomæ Aquinatis, *Aristotelicæ politicæ expositio*, *Summa Theologica*, *De regimine principum*. — Ægidii Romani, *De regimine principum*, *De utraque potestate*. — Guil. Ockam, *Super potestate summi pontificis quæstionum octo decisiones*; etc.

2. « Omnis lex proficiscitur a ratione et voluntate legislatoris ; lex quidem divina et naturalis a rationabili Dei voluntate ; lex humana a voluntate hominis ratione regulata. » (*Sum. Theol.* II, quæst. XCVII, 3). — Thomæ Aquinatis Opera. Ed. Frette. Parisiis 1872, in-8°.

ad commune bonum ordinetur in communi magis quam in particulari poni debet. » Ad quæ adjicit : « Si libera sit multitudo quæ possit sibi legem facere, *plus est consensus totius multitudinis* ad aliquid observandum quod consuetudo manifestat quam auctoritas principis, qui non habet potestatem condendi legem, *nisi in quantum gerit personam multitudinis*. Unde, licet singulæ personæ non possint condere legem, tamen totus populus condere legem potest. » (*Ibid.* quæst XCVI, 1 et 3).

Alias id invenitur quo nihil gravius esse potest : « Cum lex hominem ordinet in bonum commune, non cujuslibet ratio potest facere legem, *sed multitudinis, vel principis vicem multitudinis gerentis.* » (XC, 3).

Unde apparet necesse esse principem subjectorum consensu atque consilii inniti. Quod clarius videbitur si hunc locum respicies, ubi varias societatis formas distinguit, regnum scilicet, aristocratiam et democratiam, atque secundum Aristotelem (ap. *Polit.* III) ita concludit : « Est etiam aliquod regimen ex istis commixtum *quod est optimum.* » (*Ibid.* XCV, 4)[1].

Quorsum nostra hæc disputatio tendit ? Ad id ut pateat quantum ars doctrinaque politica apud Universitatem Parisiensem, et quantum apud eam, et præsertim apud Gersonium, Aquinatis auctoritas valuerint, ut apparebit.

Igitur, quia de politica arte maximi doctores disseruerant quos ipsa extulerat, Universitas publicis rebus indulgebat. Præterea, quia non modo artibus scientiæque magistros, sed etiam regibus jam suasores ac ministros aluerat. Denique, quia familiaritate quadam plebis utebatur. Plerique scolares multique doctores, ex populo orti, populares animos in doctrinam comparandam aut tradendam transferebant ; quum hi apud plebem, vulgari eloquio sæpe concionarentur, illi forensem strepitum intra collegiorum muros adsportarent ;

1. « Talis vero est omnis politia bene commixta ex regno, in quantum multis unus præest ; ex aristocratia, in quantum multi principantur secundum virtutem ; et ex democratia, id est potestate populi, in quantum ex popularibus possunt eligi principes, et ad populum pertinet electio principum. » (*Sum. Theol.* II. Quæst. cv, 1).

ita ut, longe ante Henrici III et Liguæ annos, prædicationis popularis atque seditiosæ exempla abundent[1].

Ergo multis de causis Universitas rebus publicis interfuit. Quomodo se, Caroli sexti temporibus, gesserit, Gersonii exemplo ostendemus, viri scilicet quum ingenio tum vita et moribus spectatissimi optimamque in se ipso Parisiensis Universitatis effigiem exprimentis.

CAPUT PRIMUM

Johannes Charlerius natus erat die 14 decembris, anno 1363, in viculo Remensis dioceseos, Rethelium prope, cui nomen erat *Gerso*, a quo, pro hujus temporis consuetudine, cognomen assumpsit.

Ex humillimo loco prodierat, patre rustico, quem, ut ipse versibus refert, *Deus bis sena prole donavit:* puellis septem, maribus quinque : ex quibus, illarum quatuor, horum tres monasterio se abdiderunt. Ineunte adolescentia, ad Parisiensem Universitatem, anno 1377, ablegatus est, in qua, in collegio Navarræ, *artium* societati, primum est adscriptus.

Anno 1381, licentiatus in artibus ad Theologiam accessit, quam plures annos (1383-1389) sub Petro Alliacensi audiit. Jamque magnam sui exspectationem fecerat, quippe qui non sacris modo sed etiam profanis litteris præstaret, atque latine concionandi munere in colloquiis Universitatis honoratus fuerit. A quo profecta est illa *Collatio in festo sancti Ludovici*, cujus thema fuit, *Dominus regnavit*, *decorem indutus est*, anno 1388 recitata, quum orator solum in theologia baccalarius esset[2] in qua Claudianus poeta, Seneca tragicus atque etiam Horatius citantur, atque virtutes regi necessariæ jam exponuntur ; quas Ludovico nono proprias fuisse noster memorat : « Multa alia sunt regis nostri præconia, quæ brevitati studens prætereo ; non silendum tamen arbitror quod ipsos veri regis

1. Vide Ch. Labitte. *De la démocratie chez les prédicateurs de la Ligue.* 1 vol., 1841. Introduction.

2. Gers. op., t. III, col. 1457.

et æquissime regnantis mores habens iniquas a se tyrannorum conditiones penitus abjecit. Insederat quippe suo animo illud quinti *Politicæ :* oportet monarcham non videri tyrannum, sed œconomicum et regnatorem. Vis autem scire quid in omni politia inter regem et tyrannum intersit, vide ibidem philosophum; qui duodecim et amplius conditiones tyrannorum posuit... »

Tanta ejus prudentiæ gravitatisque opinio percrebuerat, ut eodem anno 1388, quamvis adhuc in secundis theologiæ ordinibus consisteret, tamen cum nonnullis doctoribus (Petro de Alliaco atque Ægidio de Campis), Avenionem missus fuerit ab Universitate ad papam Clementem VII, propter negotium Johannis de Montisono.

Immaculatam Virginis Conceptionem quam fratres minores, seu franciscani, facultate Theologiæ favente, docebant, ille Johannes Aragonensis, ex ordine dominicanorum, impugnabat. Post brevem contentionem, Avenione evasit condemnatus necnon excommunicatus.

Quid pro virili parte, in hoc negotio, noster gesserit, incertum : quin graviter commotus fuerit spectaculo curiæ pontificalis, luxu tum diffluentis, haud dubium. Nam in pluribus postea sermonibus tales Ecclesiæ habitus, corruptos que mores, insectatus est, præsertim in illo quinto sermone *De festo omnium Sanctorum :*

« Jam omne caput languidum et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem capitis ; *non est in Ecclesia hac sanitas.* In illa, heu ! dixerim Ecclesia, cujus fundamenta sunt in vobis, montibus sanctis, (sanctos nuncupat), quam vestro sanguine vestraque morte consecrastis, dilatastis, roborastis, eamquam nunc immunitam cernitis miseram et merito quam fœde laceratam crudeliter decisam, similiter conculcatam aspicitis, *ut humani spes auxilii jam nulla sit*[1]. »

Sic audacior adversus pontificalem potestatem Gersonius Avenione rediit ; quemadmodum postea Lutherus, si tam dissimiles viros conferre liceat, anno 1510, Romam vidisse

1. Gers. op., t. III, p. 1541. — De luxu curiæ pontificalis atque de divitiis quibus omnis pagus Avenionensis abundabat, Vide *Histoire Litter*, t. XXIV (*Discours sur l'état des arts*, p. 617 et suiv.).

lætatus est, quoniam « ni vidisset, ut inquiebat, papatum læsisse semper timuisset. »

Anno 1392, titulum doctoris in sacra pagina Gersonius adeptus est, ac legere ipse ac commentari in collegio Navarrensi cœpit, dum reliquum tempus prædicationi atque sermonibus vulgari eloquio habendis impendebat.

Diuturnus mos fuit ut clerici in prædicando latina lingua uterentur. Sic Abailardus, Hugo sancti Victoris, Petrus de Cluny, ut inter sexcentos eligam, dixisse feruntur. Attamen vulgaris et vernaculi sermonis consuetudo increbuit, qui, ad captandas aures convertendosque plebis animos aptior visus est sacerdotibus. Quos brevi secuti sunt monachi, ii præsertim qui prædicationi maximam operam dabant, ut Dominicani, Franciscani, Augustinenses, et alii. Latine loqui et audire, doctorum jam erat, non omnium. Quapropter Gersonius popularem sermonem aucupari solebat, quoties quidquam scribebat aut dicebat quod ad vulgus pertineret. Nempe tractatum *De monte Contemplationis*, sororibus dicatum, postea latine translatum, gallice omnino peregit[1].

Præterea tempora sic se habebant ut apud aulam regiam atque ipsos proceres et optimates, præter paucos, latinus sermo velut neglectus aut obsoletus caderet, neque intelligeretur. Denique, res apud consilium regis et curiam Parliamenti gallico sermone tractabantur; atque etiam in colloquiis Universitatis quæ propter schisma apud Mathurinos aut Bernardinos toties habita sunt, gallica lingua sæpissime pro latina usurpata est. Igitur rerum publicarum usu atque clerorum orationibus patrius sermo crevit et adolevit, ita ut, Caroli sexti temporibus, oratorum nomina tradantur qui

1. De quo sic ipse sentiebat in Prologo : « Aucuns se pourront donner merveille pourquoy de matière haute comme parler est de la vie contemplative, je veux escrire en français plus qu'en latin, et plus à femmes que aux hommes, et que ce n'est pas matière à simples gens sans lettres. A ce je repons que en latin ceste matière est donnée et traitée excellement ès divers livres et traitiés des saints docteurs... Si peuvent avoir clercs qui savent latin recours à de pareils livres ; mais autrement est des simples gens et par especial de mes sœurs germaines auxquelles je veux escrire de ceste manière et de cet estat. » — Cf. alia opera, pariter gallice scripta : *Dialogue spirituel de Gerson avec ses sœurs ; Discours sur l'excellence de la virginité ; Considérations sur saint Joseph*, etc. Gers. op., t. III.

vulgaris eloquentiæ fama innotuerant[1]. Inter quos Gersonius. Modo ante regem in palatio S. Pauli, modo ante plebem in ecclesiis perorabat, quod opus etiamsi arduum[2] non obstabat quominus in collegio Navarræ theologiam legeret atque in Universitate licentiam docendi conferret.

Etenim, anno 1395, gratia ducis Burgundiæ, loco Petri Alliacensis, cancellarius Universitatis renuntiatus est. Quod officium vel his temporibus difficillimum, summa cum laude sustinuit. Studiorum disciplinam, regni commodum, Ecclesiæ pacem, omni industria promovit ; haud quidem sine molestiis quas ipse narravit atque adeo ægre passus est ut parum abfuerit quin gravissimum munus abjecerit[3].

Nempe laborabat ut theologiam, doctrinarum varietate quasi succrescentibus herbis impeditam resecaret : qua in cura in simultates magistrorum una et studentium incurrebat, quorum alii propter laudis amorem, alii propter juventutis audaciam novitati inhærebant[4]. Cogebatur placere optimatibus, inter quos Universitas distrahebatur, a quibus alii tutelam, alii beneficia petebant. Denique, schisma Ecclesiæ animorum tumultum fovebat.

Itaque, anno 1397, favente Burgundo, in pacem ecclesiæ Burgensis, tanquam canonicus, aliquit annos, secessit. Ibi noster, cui nihil unquam jucundius fuit, quam ut vitam absconderet, pro veterum preceptis, theologiæ mysticæ primum indulsit, librum que *De Monte contemplationis* confecit. Sub finem anni 1401, Parisios reversus est, curam S. Johannis in Gravia obtinuit, atque prædicationi rursus usque ad annum 1414 se tradidit.

Quid in sermonibus popularibus Gersonius valuerit, recens

1. « Grant chose estait de Paris quand maistre Eustache de Pavilly, maistre Jehan *Jarson*, frère Jacques Legrand, le maître des Mathurins, et autres clercs et docteurs solaient preschier tant d'excellens sermons. » Apud Guillebert de Metz. *Histoire littéraire*, t. XXIV.

2. « Cogor laborare pro curiosis sermonibus quibus absque ædificationis fructu maxima temporis pars absumitur, et mihi convenit illud : *stulto labore consumeris.* » (Causæ propter quas, etc.).

3. Cf. « Causæ propter quas cancellariam dimittere volebat. » Gers. op., t. IV, col. 725.

4. « Cogor perniciosa dogmata qualia jam seminata sunt ab aliquibus vel tacere contra conscientiam, vel cum summo mei, imo veritatis periculo per revocationes corrigere... » (Causæ propter quas, etc.).

auctor docuit, quum Gersonii sermones jampridem in lucem editos, novosque alios ex bibliothecis Parisiaca et Turonensi primum collectos accuratissime explicuit[1]. De doctrina Gersonii in cogitando, de ordine in componendo, de forma in eloquendo ita disseruit ut vix quidquam ab eo prætermissum fuerit de quo rursus quæstio incidat. Atque tales sermones quum gallicæ linguæ tum quoque eloquentiæ sacræ multum profuisse existimavit.

At non in prædicando modo neque in theologia legenda vim ingenii exercuit Gersonius. Nam Universitatem Parisiensem primum schismatis angustiis implicatam adjuvit, deinde rebus regni immixtam direxit.

Illud pontificale dissidium quod Occidentem tot annos divisit, unde ortum fuerit, quot scandala pepererit, quid futuræ Reformationi contulerit, nemo ignorat.

Clementis VII electione, mense septembri 1378, omnis christianus orbis in duas partes distractus fuerat, aliis Urbanum VI, aliis Clementem pro summo pontifice agnoscentibus. Urbano adhæserant magna Italiæ pars, Anglia, Dania, Suecia, Norvegia, Germania, Hungaria, Bohæmia et Polonia. Clementi autem, præter Neapolitanos, Scoti, Hispani et Galli. Utri pareret, Universitas Parisiensis diu anceps fuit, rogavitque regem (Carolum V), die 8 januarii 1379, ut examinandæ rei sibi tempus permitteretur, neutramque in partem moveri liceret. Sed die 22 maii, instante rege, negotio in deliberationem misso, tres facultates, Theologiæ scilicet, Decretorum et Medicinæ, ac duæ nationes, Franciæ et Normanniæ, Clementem legitimum pontificem, Urbanum intrusum declaraverunt; duæ autem, Picardiæ atque Angliæ, neutrius partis esse decreverunt. Missi itaque ad regem legati, nomine Universitatis, eam adhærere ac de ceteris Clementi VII adhæsuram dixerunt.

Abhinc vero jam proximo anno (1380), de pontifice quem prætulerat, Universitas questa est, propter *exspectativarum* ac *reservationum* usum, quibus Clemens opulentissima quæque largiebatur beneficia, proventuque ipsius Ecclesiæ ditior

1. Abbé Bourret. *Essai historique et critique sur les Sermons français de Gerson.* 1 vol. in-8°, 1858 (Thèse).

evadebat. Clemens autem, ducem Andegavensem in suam partem induxit, neque abstinuit crebris decimis quibus Ecclesiam gallicam opprimebat, magno fidelium atque Universitatis detrimento, si quidem credas monacho S. Dionysii.

« Ubique negligenter Deo serviebatur; minuebatur fidelium devotio, vacuebatur regnum pecuniis; multi viri ecclesiastici, per mundum vagantes, penuria maxima premebantur; regni etiam studia quæ quondam viris scientificis copiose floruerant, *per quos huc usque regnum consueverat gubernari*, annulabantur penitus. Omnium liberalium artium Parisiensis Universitas altrix dulciflua, lacte scientiæ enutritorum filiorum se orbatam dolebat, quoniam sinu materno relicto ad exteros transmigrabant, quum pater spiritualis deesset qui penuriis eorum subveniret[1]. »

Hoc enim tempore, quum neque ex regali fisco, neque ex ærario quodam Universitatis, neque ex studentium donis, doctores aliquid ducerent unde viverent, plerique magistri ecclesiastica beneficia præoptabant atque occupabant ubi non otium sed contra laborem cum dignitate haberent. Sic nostri majores, duas res olim diversissimas atque, ut nunc, maxime dissociabiles, pecuniam et Universitatem, miscere conabantur.

Dux Andegavensis qui trucem animum erga Universitatem ostenderat[2], obiit anno 1384, atque Clemens papa decessit anno 1389. Spes erat et occasio finiendi schismatis. At Romæ cardinales statim alterum pontificem, Bonifacium IX, eligere, atque dissidium inter Romam atque Avenionem velut ex integro exardescere.

Ad quod sedandum rursus Universitas aggressa est (1390). Nempe scribit monachus S. Dion :

« Apud sanctum Bernardinum congregationem fecerunt generalem (die 3 aprilis). Ibi namque cum rectore trecenti et eo amplius interfuerunt magistri qui unanimiter concluserunt regem iterum adeundum. » Doctor quidam in theologia missus est. « Primo rationibus, auctoritatibus et exemplis probavit

1. *Religieux de Saint-Denis*, II, ch. II.

2. Ut vides exemplo rectoris Johannis Rousse, a duce per vim deprehensi atque Romam aufugere coacti (1380). — Cf. Maimbourg. *Histoire du grand schisme d'Occident* (l. II).

unionem de necessitate promovendam; secundo, quod ex schismate oriebantur scandala infinita; tertio, quod hoc sedare scandalum super omnes reges, principes et barones principaliter tenentur; quarto, quod ad hoc etiam tenentur omnes utriusque statûs, sed et cunctis tacentibus, Universitas Parisiensis poterat hæc promovere. » (*Ibid.* XI, c. 9.)

Rex autem querelam audire noluit, vetuit que ne de hac re rursus ante se quidquam afferretur. Attamen, anno 1393, suadente Bituriæ duce, Universitati concessit ut quæreret quisnam finis schismati esset adhibendus.

Quapropter Universitas densis ordinibus apud Bernardinos convenit (die 8 junii), decrevitque tres vias solum esse sequendas, aut cessionis aut arbitrii aut concilii generalis; quas, per Nicolaum de Clemangiis, facundia latina disertissimum, regi statuit submittendas. Petrus de Luna, Clementis VII legatus, omni ope laboravit ut Universitatem refrenaret. Ducis Burgundiæ gratia, duce Bituriæ abnuente, Universitas nihilominus in regalem audientiam excepta est, ultima die junii 1394.

Guilelmus Barraut, doctor in sacra pagina, primus concionem habuit, in qua litteras a Nicolao de Clemangiis scriptas explicuit, litterasque ipsas in modum libelli contentas sigillo que Universitatis designatas regi obtulit[1]. Litteræ grandes quidem, sed grandi quoque et vehementi eloquio erant, ut judicare possis ex monacho S. Dionysii (*Ibid.* XIV, c. 3.)

Primum tres vias terminandi schismatis explanabant hujusque mala, irritosque Universitatis conatus querebantur.

« O nova et stupenda Ecclesiæ calamitas! O horribile schismatis prodigium! Jam ovis gregem ipsam a pastoris insidiis et violenta oppressione tuetur! O pudendum et infame sæculum nostrum omnique posteritati perpetuo criminandum! O miseranda nimium mater Ecclesia quæ in ærumnas istas nefario filiorum scelere venisti! »

Deinde Universitatem vindicabant ab accusatione ambitionis atque etiam rebellionis.

1. Is erat libello titulus : Epistola Universitatis Parisiensis ad regem Francorum, directa super schismate sedando et unione ponenda in Ecclesia Dei. — Cf. Bullæum. *Hist. Univ.* (t. IV, anno 1394).

« Quod vero nobis imponunt, nos arbitratu nostro omnia regere velle, nisi obviam iretur, faciunt quod sueti, impudenti mendacio nec colorato utuntur. *Non Ecclesiam regere, sed regi volumus;* ipsi vero, non regere sed vexare, lacerare et omnia dissipare volunt. An in tanto Ecclesiæ periculo ubi et saxa clamare deberent nos mutos esse convenit ? »

Peroravit eloquenter orando Regem ut finem schismati imponeret. Rex autem, mente mobilis, quamvis litteras probasset, tamen quod exspectabatur non dedit responsum. Imo etiam per cancellarium suum, Arnaldum de Corbia, vetuit ne diutius circa tales quæstiones Universitas moraretur.

Illa Clementi VII litteras tunc scripsit, eodem constantique animo plenas; quas impatienter pontifex accepit : « Istæ litteræ, inquit, sunt Sanctæ sedis apostolicæ diffamatrices, veneno detractionis plenæ, nec lectu nec recitatu dignæ. » Sed paulo post acceptas obiit, die 16 septembris, ejusque in locum, Petrus de Luna successit, sub nomine Benedicti XIII.

Cui litteras Universitas scripsit, auctore Nicolao de Clemangiis, de schismate compescendo : « Ecce, beatissime pater, nunc salutem Ecclesiæ, pacem et concordiam, nunc in numerabilium malorum exterminium, Ecclesiam fere omnem per tot annos schismatis vastatam, in dextra vestra portatis. Si qua spes est remedii, si qua exspectatio, ex vobis est. Aperi ergo manum tuam et imple omne anima benedictione..... »

Spes atque exspectatio fuit ut Benedictus, ut petebatur, *manum aperiret*, id est ut cessionis viam admitteret, absque pontificatu se abdicaret. Inde lætitia nata est et adolevit, qua sermo quidam Gersonii, eo tempore gallice habitus, quasi redundavit. Hujus enim sermonis, cui thema erat : *Vade in pace*, procemium festivo cursu invehebatur atque in modum carminis sonabat : « Grâces à Dieu, honneur et gloire, quand il nous a donné victoire... Alons, Alons sans atargier, alons de paix le droit sentier, etc. [1] ».

Lætitia vero brevissima fuit. Ineunte anno 1395 (die 5 februari) magnum prælatorum ac doctorum concilium Parisios convenit, Simone a Cramaudo, Alexandriæ patriarcha,

1. Gers. op. t. IV. Oratio solemnis pro pace Ecclesiæ.

prædo, deliberavitque de schismate, ad quod sedandum cessionis via certior visa est. Itaque, mense Maii, legati Avenionem missi sunt qui Benedictum ad hanc viam compellerent ; quos inter duces Bituricensis et Aurelianensis, nonnulli episcopi, doctores Universitatis atque regis consiliarii. Benedictus autem Aragonensi pertinacia legatos fefellit, et quum ad cessionem verbo pronus videbatur, re nunquam paratus erat[1].

Tum rex Carolus VI ad principes Europæ legatos misit qui viam cessionis adeundam commendarent, pacemque Ecclesiæ imponendam suaderent. Aliis vero alium pontificem sequentibus ad communem sententiam descendi non potuit, atque schisma iterum deferbuit.

Tum demum Universitas Parisiensis, auctore Johanne Brevis Coxæ, regi demonstravit pontificem Benedictum substractione obedientiæ esse coercendum (1397). Quamobrem, altera synodus gallicana congregata est, qua nulla amplior adhuc exstiterat (die 22 Maii 1398).

Sedebant enim duces Bituriæ, Aureliani, Burgundiæ, rex Navarræ, legati regis Castillæ, regius cancellarius, regis consiliarii, patriarcha Alexandrinus, undecim archiepiscopi, sexaginta episcopi, septuaginta abbates, rector Universitatis, procuratores Facultatum, deputati ex Universitatibus Aureliani, Andegavorum, Montis pessulani, etc., atque densa doctorum in theologia et in decreto corona. Maxima pars propositis adhæsit, statuitque obedientiam Benedicto subtrahendam, donec viam cessionis fuerit ingressus. Substractio publicata est a rege, die julii 28, die augusti 29 a Parliamento consignata, atque a Petro Alliaceno ad Benedictum allata. Denique rex marescalchum Boucicaut misit cum copiis, qui pontificem in Avenione obsideret.

Quam viam terminandi schismatis longamque litem componendi complures principes Europæ secuti sunt, multi autem doctores improbaverunt. In Universitate Parisiensi Nicolaus a Clemangiis et Gersonius. Gersonius imprimis plura docuit contra substractionem, de qua jam anno 1395 hanc sententiam tulerat :

1. Juvenal des Ursins : « Il disait d'un et pensait d'autre ».

« Ego coactus conscientia significo quod *istud* nunc et alias apparuit mihi non necessarium, sed penitus inexpediens. Nam, perhoc, secundum videre meum et sub correctione illius vel illorum ad quos spectat auctoritas, schisma præsens multiplicaretur et irremediabiliter, ut schisma Græcorum et Latinorum, radicaretur; divisio crudelissima et perniciosissima in hoc regno interse et contra alios verisimiliter oriretur, periculum mutationis regni et aliarum dominationum suscitaretur... » (Gers. op. T. II).

Universitas Tolosana, contra substractionem tota insurrexit, regique epistolam porrexit qua ostendere conabatur injuriose et contumeliose factum hactenus erga Benedictum.

Una cum doctoribus, dux Aurelianensis substractionem impugnabat, publice asserens « eam fuisse minime bene consultam nec sine scandalo ignominioso papam captivum teneri. » (Monach. S. Dionysii. XXIII). Hoc scilicet in se vitium substractio habebat quod beneficia ecclesiastica magis ac magis ex arbitrio procerum penderent, atque fracta pontificis auctoritate, Ecclesia in manus laicorum caderet.

Post aliquot annos, Benedictus Avenione evasit (1403), et in restitutionem obedientiæ atque in gratiam regis rediit, qui ei legationem misit cujus participes erant doctores Universitatis ac regis consiliarii, Gersonio principe et oratore. Noster enim coram pontifice duas orationes habuit, alteram Massiliæ, cui thema erat : *Benedic hæreditati tuæ, sanctissime pater* (9 novembris 1403); alteram Tarascone, in qua multa de pace ac de via pacis dixit fortiter (die 5 januarii 1404), cuique thema erat : *Apparuit gratia Dei et Salvatoris nostri omnibus hominibus.*

Quæ quidem oratio haud omnibus placuit, quoniam Gersonius accusatus est aut multa subticuisse aut aliter dixisse quam debuisset. Quod paulo post redarguit quum has duas orationes Aurelianensi duci dicavit, monstravit que quid sibi proposuisset.

« Multa hactenus scripsi, strenuissime domine. Plurima dixi quæ ad ecclesiasticam pacem utilia videbantur, prosequens pacem exsulantem latratu quo potui, ego de genere catulus, offerens insuper pro virili portione ad opus tabernaculi Dei cum hominibus ea quæ de manu sua videbar acce-

pisse. Viam itaque cessionis bene practicam ego brevissimam et optimam censui, judicans ad ejus receptionem secundum preparationem animi ambos contendentes de papatu jure divino constrictos. Nec erat quod allegarent coactionem. Vellent itaque nemo cogebat. Porro in conclusione substractionis non affui, quam tamen conclusam impugnare pertinaci animositate præsumpsi.

« Sed postquam dominus noster Benedictus viam cessionis et alia quæ petebantur accommoda pro pace et reformatione Ecclesiæ dictus est acceptasse, opposuit se parvitas mea cum odiis et discriminibus non modicis ut ipse neque papatum de facto irreverabiliter amisisse neque hæreticus aut schismaticus judicandus esse causaretur. Placuit quoque restitutio quam et prædicavi coram celeberrimo cœtu populorum. Per hanc itaque obedientia nostra secum unita portum pacis generalis attingere facilius sperabatur. Denique non tam missus quam coactus legatus, ad dominum nostrum super hac materia pro parte Universitatis præclarissimæ studiorum, cui ego filius negare potui nihil, proposui primo Massiliæ, dehinc Tarascone sermonem hunc quem decorus præsentiæ vestræ nobilissimæ fulgor illustravit.

« Hunc sermonem sicut et præcedentem propositionem postulare dignata est Celsitudo vestra ab exiguitate mea; qualis autem ego sum ut vel hoc vel aliud quippiam denegare præsumpserim? En accipite itaque sermonem qualiscunque est ubi aliqua sed pauca ex dictatis in margine posita sunt, quæ brevitas præceps eripuit ne proferrem.

« Scriptum Tarascone, anno Domini 1403, in vigilia Epiphaniæ [1]. »

Romæ interea Bonifacius IX decessit (mense octobri 1406); cujus in locum Innocens VII successit. Innocens vero paulo post obiit, atque Gregorius XII electus est (nov. 1406). Benedictus XIII autem sedi pertinaciter adhærebat.

Itaque, sub finem mensis novembris 1406, magna doctorum et prælatorum synodus Parisios convenit, ut de schismate deliberaret; quorum alii pro Benedicto, alii contra illum dixerunt. Primum enim concionatus est Petrus ad Boves,

1. Gers. op., t. II, p. 74.

franciscanus Parisiensis; deinde Johannes Parvi, doctor in theologia « plus tamen libera eloquentia quam eleganti commendandus » (Mon. S. Dion); qui magna exemplorum argumentorumque copia demonstrarunt non modo licitam esse nonnunquam obedientiæ substractionem, sed et sæpe perutilem, ut indigni pontifices a sede removerentur. Die sabbati sequentis, Petrus Cramaudus, patriarcha Alexandrinus pariter contra Benedictum peroravit, sumpto hoc themate : *Congregati sunt filii Israel et Juda ut ponant sibi caput unum.*

Pro pontifice locuti sunt Guilelmus Fillaster, legista, decanus Ecclesiæ Remensis, atque Amelius de Brolio, archiepiscopus Turonensis. Die autem vicesima decembris, Juvenalis Ursinorum, regis advocatus, censuit remedium a concilio generali esse petendum. Interdum, obedientiæ substractione rursus esse utendum synodus decrevit.

Ne in communi damno implicarentur, ambo pontifices laboraverunt. Gregorius Benedicto litteras misit, pollicitus se a pontificatu abdicaturum, si similiter se Benedictus gessisset. Benedictus in hanc viam descendere visus est, atque statutum est ut papæ adversarii eumdem locum (id est Savonam urbem) devenirent. Benedictus Genuam appulit; Gregorius itinere abstinuit.

Tum demum gallicana legatio, cujus erat Gersonius, primum Benedictum deinde Gregorium adiit, sed frustra illos ad cessionem adhortata est.

Quapropter, Carolus rex, anno 1407, alteram substractionem Benedicto minatus est, qui excommunicationis bulla respondit, quæ ad regem die 14 maii delata est (1408)[1]. Regis consiliarii ac doctores Universitatis statim congregati sunt. Concionatus est, Universitatis nomine, Johannes de Brevi Coxa, super hoc themate : *Convertetur dolor in caput ejus et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet*, omniumque assensionem obtinuit. Pontificalis bulla injusta declarata est et damnanda publiceque laceranda, dieque maii 22, substractio obedientiæ publicata est.

1. Bulla invenitur apud d'Achery, *Spicilegium*, t. VI, atque apud Bulæum. *Hist. Univ.*, t. V.

Mense augusto, gallicana prælatorum synodus curavit de ecclesiasticis regni negotiis atque *advisamenta*, ut ait Bullæus, adhibuit, *super provisione beneficiorum :* denique, omni spe schismatis terminandi seu cessionis seu arbitrii modo sublata, agnovit nullam superesse nisi concilii generalis viam. Quod concilium Pisanum fuit.

Quum Oxonenses doctores, Pisam petentes, Parisios trajiciebant, eos Gersonius, nomine Universitatis, allocutus est, et quantum ex concilio percipi posset, ostendit[1]. Ineunte anno 1409, libellum *De Unitate Ecclesiastica* scripsit, contra eos qui concilii aut necessitatem aut auctoritatem impugnarent[2]. Sic noster substractionis quidem detractor, sed concilii auctor doctrinæ constanter inhærebat quam per omnem vitam amplexus est.

Concilium Pisanum initium cepit die 25 Martis, anno 1409, atque schismati componendo quam celerrimam operam impendit. Duo papæ contendentes, *Benefictus* et *Errorius*, ut doctores alludebant, postquam eorum causa accurata est et peracta, a sede fuerunt pariter dejecti, die 5 junii; quorum in loco, die 15, Alexander V electus est. Die Ascensionis, Gersonius sermonem habuit, assumpto hoc themate : *Domine, si in hoc tempore restitues regnum Israel ?* Unionem instauratam laudavit, commendavitque ecclesiasticam reformationem[3].

Attamen, recens pontifex parum se gratum erga Universitatem ostendit. Die enim 20 novembris 1409, bullas edidit, mendicantium ordinum gratia, quas Universitas valde improbavit ; atque ut ait Gersonius in sermone tunc habito, *quomodo stabit regnum ejus ?* (T. II.) Obiit Alexander, anno 1410, atque paulo post, pauciores cardinales Balthassarum de Cossa elegerunt, qui, etiamsi moribus suspectis esset, sanctam sedem accepit, sub nomine Johannis XXIII. Ille bullam antecessoris revocavit, atque Universitatis Parisiensis jura et privilegia in amplius promovit.

Convenerat Pisæ, inter patres, alterum fore intra triennium concilium, quod reformandæ Ecclesiæ incumberet. De quo

1. Gers. op., t. II, p. 123. — Propositio facta coram Anglicis Parisios euntibus ad sacrum concilium Pisanum.
2. Gers. op., t. II, p. 114. Tractatus de Unitate ecclesiastica.
3. De concilio Pisano, Cf. Lenfant.

tamen non idem omnes sentiebant. Etenim de vero pontifice decernere, ad se cardinales, haud ad concilium, attinere existimabant. Altera ex parte, tres papæ concurrentes, si concilium esse sinerent, se vitio electos fatebantur. Præterea, si ad concilium vocarentur, quomodo salva maneret opera concilii? ac, ni vocarentur, quomodo concilium stare posset? Denique, non deerant qui minimi auxilii concilium ducerent; ex quibus, Petrus Alliacensis, qui, jam anno 1410, tractatum ediderat *De difficultate reformationis Ecclesiæ in concilio generali*, quem Gersonio dicaverat.

Nihilominus, plerique ad convocandum concilium propensi videbantur; quos magis etiam inclinavit Gersonius libello *De modis uniendi ac reformandi Ecclesiam in concilio generali* (1414); in quo de auctoritate concilii supra Papam enucleate ac fortiter asserebat :

« Sed numquid tale concilium, ubi papa non præsidet, est supra papam ? Certe sic. Superius in auctoritate, superius in dignitate, superius in officio ; tali enim concilio ipse papa in omnibus tenetur obedire. Tale concilium potest potestatem Papæ limitare, quia tali concilio, quum repræsentat Ecclesiam universalem, claves ligandi et solvendi sunt concessæ ; tale concilium jura papalia potest tollere ; a tali concilio nullus potest appellare ; tale concilium potest papam eligere, privare et deponere [1]. »

Sigismondo imperatore instante, pontifex Johannes XXIII, etiamsi ipse repugnaret, concilio sessionem indixit ad novembris initium, anni 1414. Quod concilium Constansiense fuit.

Johannes papa Constantiam ingressus est die 28 octobris ; Johannes Hus, die 3 novembris, atque prima sessio concilii die 5 novembris celebrata est. Legati Universitatis Parisiensis die 18 februarii 1415 advenerunt, Gersonio præeunte, quo non eloquentia gravior nec opera constantior in his negotiis alter exstitit.

Ubi de unione Ecclesiæ quæsitum est, Universitas Parisiensis viam cessionis proposuit, quam Johannes papa ægre audiens clam urbe evasit (die 20 martis 1415). Turbari patres confestim, atque de exitu concilii ancipites fieri. Die autem

1. Gers. op., t. II, p. 172.

23, Gersonius eorum animos firmavit, atque orationem habuit aptissimam qua concilii generalis auctoritatem supra papam extulit, viamque cessionis, duodecim *considerationibus*, ut aiebat, tractavit. Cujus orationis hoc fuit thema : *Ambulate dum lucem habetis ut tenebræ non vos comprehendant;* atque hæc verba in sermone inseruit :

« Ecce, patres orthodoxi, quod ad hoc ipsum ut glorificetur Deus et illustretur Ecclesia, nunc celeberrima Parisiensis Universitas, cultrix et amatrix eorum omnium quæ Christianæ religionis pietatem, quæ sanam doctrinam respiciunt, ipsa ad exemplar christianissimi regis Francorum patris sui dignatissimi, legationem mittit, quærens primo ea *quæ pacis sunt*, denique *quæ fidei sunt*, denique tertio *quæ virtutis et ecclesiasticæ sunt libertatis*, quoniam ad hæc tria principaliter synodus hæc sacra tendit[1]..... »

Quæquidem verba, Universitati solemnibus litteris comprobata[2], concilio præbuerunt unde labori viam et terminum assignaret.

Etenim, quæ erant *pacis* negotia, Johannis XXIII, atque altera Benedicti XIII depositione; quæ *fidei*, Johannis Hus supplicio atque Johannis Parvi condemnatione; denique, quæ *libertatis ecclesiasticæ*, confirmata concilii auctoritate, confecta sunt. Quibus in agendis, Gersonius noster primas partes, summa industria et scientia, scriptis una et disputationibus atque sermonibus, sustinuit; seu quum de auctoritate concilii dissereret in libellis qui *De Auferibilitate papæ ab Ecclesia*, atque *De Potestate Ecclesiastica* et *De origine Juris et Legum* inscribuntur; seu quum contra hæresim Johannis Hus et prævitatem Johannis Parvi insurgeret; seu denique quum prædicationibus pietatem audientium foveret aut festos sanctorum dies celebraret; ita ut unius viri flamma omnem Synodum accendi, atque Gersonio concilium potiusquam concilio Gersonium defuisse videretur[3].

Scilicet, novus pontifex electus fuerat, mense novem-

1. Gers. op., t. II.
2. Quæ litteræ, datæ Parisiis, die 2 aprilis 1415, lectæ in concilio die 17, a Benedicto Gentiano, sunt apud monachum S. Dion. XXXVI c. 21.
3. Cf. Sermones de *Purificatione Virginis ;* de *Ecclesiæ malis*, de *Signis futuri Judicii; in festo S. Antonii*, etc. Gers. op., t. II.

bri 1417, Martinus V nomine, qui conatus est reformationi obstare atque concilium solvere. Itaque, concilium discussum est mense maii 1418, antequam schisma exstingueretur, quod usque ad annum 1429 sæviit.

Ergo in hoc concilio Constansiensi (de quo sermo noster rursus incidet, propter Joh. Parvi negotium), Universitas Parisiensis maxime enituit, suo tantum detrimento quantum honore. Nam simultates pontificum passa est quorum potestatem frangere aut coercere voluerat. Nec mirum igitur si pontifices aut novas Universitates in Europa nasci atque adolere, aut vetera Parisiensis Universitatis jura minui atque aboleri postea siverint.

Interea, non solum in externis sed etiam in domesticis, neque in Ecclesiæ tantum, sed in regni rebus, cum eadem auctoritate scientiæ famaque nominis Universitas versabatur.

CAPUT SECUNDUM

Ante quartum decimum sæculum, Universitas studii Parisiensis, ut tunc dicebatur, comparandæ aut tradendæ doctrinæ dedita, ex studiorum pace ad tumultum forensem nondum exierat. Quanquam acciderant tempora, quibus tanquam pro domo certare coacta fuit, seu quum contra ordines mendicantes insurrexit, propter docendi privilegium et magisterium : seu quum romanam aviditatem impugnavit propter questum quem pontifices de Universitate ducere studebant; seu denique quum adversus regale arbitrium jura sua atque munera Universitas defendit.

Sub finem quarti decimi sæculi, collegiorum numero dives, magistrorum laude eminens, studentium concursu frequens Universitas summa nominis fama perfruebatur. Quare, opibus viribusque confidens, domesticis, ut ita dicam, civilibusque rebus misceri cœpit.

Quod primum Stephani Marcelli, mercatorum præpositi, tempore evenit.

Quomodo seditiosi hujus civis ambitione regnum Franciæ

fuerit commotum ac pæne eversum, non nostrum est commemorare. His tamen discordiis, neque invita quidem, Universitas interfuit. Non modo enim magister quidam, doctor in theologia, Robertus de Corbia nomine, inter acerrimos Marcelli Navarræque regis fautores stetisse refertur, atque causam oravisse pro Marcello, post cædes jussu ejus confectas[1]; sed etiam Universitas, modo in partes legatorum trium ordinum descendit, atque magistrorum opem ac sermonem populo proposuit[2], modo ad Delphinum, a Marcello missa, pacem quærere visa est. Nec mirum igitur si cum Marcello conspiravisse « multum solemnes et eloquentes quam plurimum et doctos » viros legimus. (Apud cont. Guill. Nang.)

Tantus fuit tunc studiorum tumultus, tanta doctorum secessio, ut pontifex Innocentius VI, ad rectorem et Universitatem, atque ad præpositum Marcellum civesque Parisienses, « pro pace inter ipsam reformanda » litteras scripserit[3].

Præterea, in hoc rerum discrimine, Universitatis ac doctorum dicendi genus atque ipsum sermonem, principes factionum imitabantur. Etenim, dum apud trium ordinum conventum negotia tractabantur, dum Marcellus ipse in Gravia apud plebem concionabatur, Delphinus quoque Carolusque Navarrensis vicissim verba faciebant, prædicantium instar, themate ex Scriptura assumpto, atque etiam latine, si quibusdam difficillime quidem credas[4]. Sic, Carolus Navarrensis, car-

1. « Et là maître Robert de Corbie dit que le prévot des marchands avait fait faire ce qui avait été fait le jour précédent (22 février) pour le bien et le profit du royaume..... Et requit maître Robert les envoyés des villes pour ledit prévot et les autres qui avaient fait le dit fait qu'ils voulussent ratifier ce qui avait été fait et eux tenir en bonne union avec ceux de Paris... » (*Chroniques de Saint-Denis*, ch. LIX).

2. « Là fut dit au dit duc par frère Simon de Langres, maître de l'ordre des Jacobins, que tous les dessus nommés avaient été ensemble au conseil, etc... Et pour ce que ledit maître ne disait plus, un moine de Saint-Denis, en France, dit audit maître qu'il n'avait pas tout dit... que si il ou le roi de Navarre étaient refusant de tenir ou accomplir leur délibération *ils seraient tous contre celui qui serait refusant et prescheraient contre lui*... (*Ibid.*, ch. LVIII).

3. Quæ litteræ, datæ apud Villanovam Avenionensem, die 14 junii 1358, apud Bernardinos 16 die julii perlectæ sunt. Apud Jourdain, *Index chronologicus*. Cf. Du Boulay.

4. « In latino valde pulchro. » Cont. Guill. Nang. apud Secousse. *Histoire de Charles le Mauvais.*

cere egressus, apud Parisios, deinde apud Rotomagos sermonem habuit elegantissimum [1].

Novum adhuc civilis eloquentiæ spectaculum, nec profecto vicinum veteris fori romani moribus; maxime tamen notandum quia in his controversiis Universitatis laus et ipsa forma dicendi prævalebat.

Ineunte Caroli sexti regno, iterum in res forenses Universitas cecidit, seditionis tempore dictæ a malleis, vulgo *maillotins*. Vix enim Rotomagensem seditionem rex juvenis pacaverat quum Parisiensem una conflatam esse accepit. De qua, sic monachus S. Dionysii refert: « Unde iracundia geminata, quam tamen ad tempus differre dignum duxit (rex) *precibus et interventu Universitatis Parisiensis, suæ filiæ venerandæ.* » (III, c. 4). At quum ex Flandrico bello regius exercitus triumphans rediit, atque in Parisios sævire decretum est, tum rursus his calamitatibus Universitas interfuit, si quidem nostro fides adhibenda est:

« Cum rectore Universitatis Parisiensis excellentiores doctores et magistri regem adierunt, suppliciter deposcentes ut priscorum vestigia sequeretur, qui cunctis actibus suis clementiam præ cunctis virtutibus sic amplexati fuerant ut de ipsis dici posset: *Reges Israël clementes sunt.* Verba proponentis regem multis mediis ad misericordiam induxerunt. » (*Ibid.* III, c. 18).

Dementia regis magis etiam ad civiles causam Universitatem impulit. Etenim, inter certamina principum, languescebant studia quæ pace egent atque arma reformidant, atque schisma discordiam augebat. Jamque gliscebant mala quæ paulo post Gersonius carminibus deflevit:

. . . .
Canones, Artes, medicansque Physis,

1. « Le lendemain (11 novembre 1357), le roy de Navarre qui avait fait assavoir par ladite ville de Paris en plusieurs lieux qu'il voulait parler aux gens de ladite ville, fut en un eschafaud sur les murs de l'abbaye Saint-Germain-des-Prés, par devers le Pré au Clercs. Et en la présence de 10 000 personnes, dit moult choses..... Moult longuement sermonna... » (*Chron. de Saint-Denis*, ch. XL). — « Miserias suas eleganter exposuit. » Cont. Guill. Nang. — « Le vendredi, quinzième jour de juin (1358) ledit roy de Navarre vint en la maison de ville, et *prescha.* » Etc.

Et Sophiæ vultus lacrymis rigate
Deperit vobis studiosa turba
Pallada flete.

Regii sceptri rogitamus, hæres
Clare Delphine, repares ruinas
Hosticæ cladis, miseris vel odiis
Pallada flete.

Tale qui rursus renovare quæret
Vivito felix quater et beatus
Cesset ut plangor dolorosus iste
Pallada flete[1]. »

Universitas sola erat, pro majestatis nomine, quæ ab omnibus audiri posset. Nam, ut supra diximus, cum gubernare nec proceres scirent, neque populus posset, deerat tum et monarchiæ imperium et démocratiæ libertas, Universitatis tantum auctoritas supererat.

Quapropter anno 1403, ægrotante rege, neglecta a magnatibus reipublicæ cura, Universitas ad tutelam regni accincta est. Nempe per magistrum Johannem Brevis Coxæ, doctorem theologum, suo civiumque Parisiensium nomine, regem rogavit ut quædam ordinationes recenter jussæ servarentur. Quæ *propositio*, pro hujusce temporis vocabulo, gallice habita digna est quæ vernacula lingua expromatur, quo clarius quum sensu tum ipso quoque eloquio eam excellere appareat[2], latine vero translata sic prope se habet.

In hunc modum exordiebatur :

« Altissime ac potentissime rex, tua humillima filia Universitas, dominus Rector, dominique magistri Universitatis, præpositi mercatorum atque scabini tuæ bonæ urbis Lutetiæ, tui humiles fideles que subjecti, mihi provinciam imposuerunt quædam tibi proponendi quæ, si libenter audies, quam brevissime et optime potero, dicam.

« Hoc ante omnia velim, si copia esset, unumquemque tuorum subjectorum bono publico cum eadem industria inservire quam privato suo augendo impendit ; ita ut omnes

1. « Carmen lugubre pro desolatione Universitatis Parisiensis propter bella civilia. » Gers. op,, t. IV, p. 708.
2. Gallice apud Bullæum, t. V, pp. 83-91. Vide Appendicem A.

in pace, in dilectione atque in omnium rerum abundantia viveremus. Etenim si unusquisque certum hoc ac sibi persuasum haberet, privatam utilitatem et salutem utilitate publica comprehendi, atque ex publico damno privatam una pendere perniciem, paucos fore arbitror qui e publico bono detraherent ut privatis adderent commodis, quemadmodum hodie fieri solet. Paucos enim tunc invenias qui magnam fortunam cum incerto quam mediocrem cum tuto mallent. »

Orator deinde docuit reges fuisse quondam institutos ut pacem ac justitiam inter homines servandas curarent, securamque et utilem vitam subjectis pararent. Sallustii, Livii, Ciceronis, Aristotelis sententiis utebatur. Ad quæ adjiciebat :

« Hæc regalis potestas stare non potest neque diu permanere nisi cum certis legibus aut ordinationibus, quibus subjecti in unione, in securitate atque in tranquillitate detineantur ; ut ait Titus-Livius, apud primum librum primæ Decadis, in quo Romulum narrat magnum hominum cœtum in concilium vocasse, qui aliter neque misceri neque crescere potuissent, atque illis leges statuisse, secundum quas vivere deberent... »

Tales ordinationes in Francia jussæ sunt. Quid de illis factum est ?

« Si quis optimas ordinationes tueri curasset, quas boni reges Franciæ antecessores tui jusserunt, ac tu ipse, potentissime Domine, jussisti, nunquam hoc regnum in tales angustias cecidisset atque in hanc egestatem quam deploramus. Considera enim quantum circa Parisios regio opprimatur ac devastetur ab armigeris, a quibus defendi deberet contra homines judiciales, ut sunt præpositi, baillivi, promotores officiales, etc. Atque ærarium regni, quomodo antea administratum est ?... »

Pergit magister Johannes calamitates publicas deflendo quibus Universitas animum intendere debuit, quibus vero sedandis leges sufficient atque ordinationes nuper jussæ, quæ jam spectatæ sunt.

« Considera, o Rex, si placet, quem rerum statum nuper haberemus. Hostes Guyennam fortiter occupabant. Nisi hoc certamen supervenisset, quod refertur nactum apud Anglos, ac si hostes Calaisium cum copiis appulissent, ubi pecunia ad

milites conducendos? Circa Parisios nihil restat quod capi possit. Quid rusticus urbano homini dabit? Si rusticus denudatur, omnes regnicolæ pauperes fiunt. Si regnicolæ pauperes fiunt, quomodo tibi auxilio venient? Quoniam igitur per misericordiam Dei hoc periculum effugimus ; et quoniam per has ordinationes talibus casibus provisum est, da operam ut illæ leges observentur et colantur, neque quisquam contra insurgere audeat. »

Quanti pretii essent ordinationes orator demonstravit ; denique peroravit vehementer, omnesque audientes cohortatus est ut bono publico inservirent, regalique voluntati parerent.

Quæ oratio, quanquam latinis adhuc vocabulis paululum tarda et impedita, tamen in cogitando recta, in eloquendo pressa, in probando valens maxime videtur.

Ea autem erat temporum conditio ut optima verba in irritum jam caderent. Anno 1404, mortuus est dux Burgundiæ, cujus filius cum duce Aurelianensi de primis certare cœpit. Unde discordia crevit quæ, corruptis procerum moribus, aula luxu perdita, profusoque ære publico, plebis adhuc miserias auxit. De quibus, quum plerique tacerent, monachus quidam Augustinensis, nomine Jacobus Magni, audacter questus est, in prædicatione coram regina, die Ascensionis 1405.

Carpsit enim procerum habitus infames, vestes mulierum indecentes, ludos festosque continuos, atque ipsam reginam allocutus : « Hæc et multa alia, dixit, o regina, in opprobrium curiæ tuæ dicuntur. Quæ si non velis credere, in habitu mulieris pauperculæ eundo per civitatem audies ab infinitis personis[1]. »

Quod regina impatienter tulit. Rex autem audire voluit. Quapropter Jacobus noster, coram rege Carolo sexto, die Pentecostis prædicavit super hoc themate : *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem.*

Rursus mores aulæ corruptos insectatus est ac vitia nobilium quos gubernando impares esse contendit. Dein ad regem conversus, patrisque exemplum commemorans :

« Etsi, inquit, exactiones imposuerat super plebem colli-

1. *Religieux de Saint-Denis*, l. XXVI.

gendas dum in sceptris ageret, ex iis tamen ad decorem regni munitiones construens, potenter regni adversarios repellens, eorum oppida occupabat, et accumulando thesauros opibus occidentales reges præcellebat, antequam cederet in fata ; sed nihil horum nunc agitur, quamvis gravioribus oneribus plebs gravetur.

« Addidit et quod de talliis generalibus bis isto anno collectis nil inde commodi reportabat, non exinde ad honorem regni fiebant expeditiones bellicæ, nec stipendia subsidiariis solvebantur, sed distractis indebite sic accumulabantur particulares thesauri, ad usus inhonestos proh pudor, convertendi. « Summa, inquit, ingenuitas his temporibus balnea frequentare luxuriose vivendo et indui preciosis loricatis, fimbriatis et manicatis vestibus ; et cum tibi etiam commune sit, dico quod simile est te induere de substantia lacrimis et gemitibus miserrimæ plebis, quæ continue, quod compatiendo referimus, ad summum regnum ascendunt, pro injustiis sibi factis. »

« Notavit et unum non nominando nisi ducem, dicens quod et in juventute fuerat bonæ indolis, sed nunc propter inhonestam malam vitam et insatiabilem cupiditatem maledictiones plebis incurrebat, cum omnes ab eo et sibi similibus intolerabiliter premerentur ; in finalibus concludens quod si diu continuarentur tot nefanda, *non timebat quin Deus qui potens est discingere balteum regum quando placet aut regnum in brevi transferret ad extraneos*, aut propter mala principum divideretur in se ipso.

« Ad correctionem morum multa alia ut prædicator egregius et veritatis professor constantissime et luculenter protulit ; unde pessimorum indignationem incurrit et odium, sed a circumspectis et modestis tanquam pro benedictis famatus est et laudatus[1]. »

Attamen dux Aurelianensis, quum felici ipsius ingenii facultate, tum gratia apud reginam, primas partes detinebat. Adversus quem dux Burgundiæ civibus Parisiensibus una et magistris Universitatis usus est. Nam jura Parisiis sublata

1. *Religieux de Saint-Denis*, *ibid.* — Cf. Felibien. *Histoire de Paris*, t. II, p. 734.

restituenda, doctoresque in consilium regium admittendos curavit. Postquam principes in amicitiam redire visi sunt, quæsitum est ab Universitate an mores in melius possent converti. Cujus nomine Gersonius, utpote cancellarius, die 7 novembris 1405, coram rege, absente regina, *proposuit*, amplissima illa oratione cui thema fuit : *Vivat rex*.

Jamque res publicas concionando noster attigerat, non ut in rostris orator, sed ut in cathedra prædicator, neque occasioni defuerat quum civilem animum theologico ardori addere data est. Testes sunt sermones in quibus hanc civilem eloquentiam, de qua res nostra agitur, non omni modo profecto expressam, claram tamen et fortem et publico bono accommodatam deprehendamus.

Testis ante omnes illa *de S. Ludovico collatio*, de qua jam disputatio incidit, in qua, etiamsi prima adhuc adolescentia floreret (1388), regum officia describebat[1]. Testis ille sermo, gallice habitus Parisiis, die Epiphaniæ, anno 1390, coram rege Carolo et compluribus ducibus optimatibusque, cui thema erat : *Adorabunt omnes reges ;* in quo trium regum fabula est Bethleem stella duce petentium. De qua sic utitur :

« Ad trium regum commendationem et principaliter ad nostram instructionem sciendum est quod secundum sanctam Scripturam tres reges et tria regna hic in hac inferiori terra esse dicuntur. Quæ per hodiernos tres reges et tria eorum quæ obtulerunt dona demonstrari et figurari possunt. Primum regnum personale est, secundum temporale et tertium spirituale[2]. »

Apud primam sermonis partem invenitur *Exhortatio ad*

1. Plures sunt Gersonii de S. Ludovico sermones, quorum alter sic inscribitur : Sermo elegantissimus historiis T. Livii, Valerii Max, sententiis Tullii et Senecæ respersus, cum hoc themate : *Tu Domine mi Rex, sicut angelus Dei* (op. II. col. 1440) ; alter, cui thema est : *Dedit illi gloriam regni* (III, col. 1419), pariter civilem materiam attingit. Legimus enim in *Tertia consideratione :*

« Regnum in sua generalitate est societas ordinata in imperando et obediendo secundum legem æternam, utendo legis æternæ nomine... Regnum civile et politicum est societas ordinata plurium hominum sub uno, in operando et obediendo secundum leges positas et civiles. Etc. » (col. 1457). — Quibus in considerationibus patet auctoritas et mens Thomæs Aquinatis.

2. Gers. op., t. III, p. 980 et seq.

Regem, quoad personam propriam regendam, quæ sic incipit :

« Nobilissime et excellentissime princeps, primum et præcipuum regnum quod vobis ad gubernandum est commissum, de quo majorem adhibere debetis diligentiam est anima vestra et regalis vestra persona ; quia dicunt Horatius et Seneca, magnum imperium et regnum esse se ipsum gubernare et multo majus quam totius mundi residuum regere... »

Sequuntur virtutes quæ regi sunt necessariæ : « Sumite ergo, Domine, sumite pro regno vestro personali bene gubernando hanc primam Dominam quæ libera et nobilis nominatur Voluntas; eam merito habere debetis qui aliis nobilior estis et liberior... Cum sic libera voluntas in throno suo sederit et majestate, mox veniet ad eam Discretio pro suo cancellario, pro suo consiliario Charitas, pro suo præposito et balivo Justitia et Misericordia, pro satellite Providentia, pro nuntio suo agilis Intellectus, pro suis stipendiariis et militibus venit Humilitas contra Superbiam, contra iram temperata Humanitas, et sic de aliis virtutibus. Fortunatus est princeps ille, cui ejusmodi est comitiva ad tutandum et servandum personale regnum suum... »

Secunda pars dein in hunc modum regem hortatur :

« Potentissime, nobilissime et excellentissime princeps, post bonum primi regni gubernamen, superintendum est ut secundum debite gubernetis, ac bonum vestrum populum in tranquillitate in sufficientia et in securitate conservetis. »

Ad quod necesse est ut populum rex diligat et tueatur.

« Et, Domine, quod verum sit id quod dixi sine amore temporali regnum gubernari non posse, apparere potest per similitudinem regni personalis. Nulli dubium est quin si membra et partes hominis inter se contrarientur sic quod una alteri resisteret, taliter ut manus oculos creparent et pedes corpus dejicerent, nec cor aliis membris dirigeret calorem, regnum personale hominis cito tenderet ad perditionem quia (quemadmodum dicit Jesus Christus) *omne regnum in se divisum desolabitur*. Ad hoc applicari posset apologia quam ponunt Æsopus et Titus Livius de membris adversus ventrem conspirantibus...

« Domine, si vestri regni brachia perquæ intelligo nobiles milites... odio haberent et persequerentur oculos, hoc est

ipsos clericos, vestrum prorsus exocularent regnum. Si brachia et oculi dedignarentur et destruerent pedes, hoc est inferiorem populum, regnum vestrum non haberet quo sustentaretur, quia sine subjectis deficit dominium, quemadmodum sine pedibus corpus humanum labitur. Qua de causa ordinata est politia, nisi ut unus alterum adjuvet, unusquisque secundum statum suum? Populus tribuendo victum et subsidia dominis; domini eos tutando ab inimicorum suorum oppressionibus et eos fideliter conservando; propter enim illum titulum honores habent, dignitates et ea quæ colligunt subsidia[1]. »

Quæ bona plebi necessaria sunt atque a rege exspectanda? *Justitia* scilicet et *securitas*, *misericordia* et *clementia;* præterea *amor* et *dilectio*. Præsertim necesse est rex suos amore foveat et sustineat. « Qui bonum et sincerum erga populum gerit amorem, non potest quin de infortuniis, tribulationibus ac indigentiis misericordiam habeat et compassionem; quod verum est si eas cognovit; et utinam vellet Deus, Domine, ut eas cognosceretis; certum est fidum amorem sic vobis inesse, quod hanc quoque filiam Compassionem haberetis. »

Denique tertia pars de spirituali vita tractat, regique *fidem* commendat. Quapropter in perorando mentem audientium ad schisma convertit.

« Per hanc sublimem majestatem et clementiam et per veram fidem qua modo præditus estis, per ardentem affectum quem ad tertium hoc geritis regnum, id est ad Sanctam Ecclesiam et omnem christianitatem; dignemini, Domine, patienter audire quod per veritatis coactionem quam salvatori meo Jesu Christo debeo, fidei, Sanctæ Ecclesiæ, vestræ quoque regali majestati, vobis dicere volo et multo brevius quam materia expostularet; ad ea autem respicietis quæ dicturus sum, non ad modicam meam personam. O Rex singularis, rex christianissime, videtis ingentem dolorem (non dubito) et cum magna cordis displicentia; videtis, inquam, quomodo in christianitate, jam per spatium duodecim annorum est divisio taliter quod

1. Hic locus maxime notandus est quia, jam anno 1390, regni tanquam figuram et effigiem adumbrat quam anno 1413 redivivam atque omnino expressam inveniemus.

una pars alteram reputat schismaticam, excommunicatam et extra statum esse gratiæ et salutis; sed nec lingua humana recitare posset mala temporalia quæ ob hanc eveniunt; commotiones scilicet bellorum, præliorum, incentiva odia regum contra reges, principum contra principes, populorum contra populos, quemadmodum docet experientia. Accidit exaltatio et promotio indignorum, etc. »

Testis alter sermo, *de Nativitate Domini*, anno 1400, ut conjicimus, habitus coram Rege et compluribus magnatibus, cui thema erat : *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* [1].

Ostendit primum orator quomodo ex adventu Christi pax universa fecundaque mundo oriunda sit. Deinde in secunda parte sic loquitur de regis officiis :

« Sub hac poesi aut imaginatione quæ videri potest obscura, quatuor brevia et clara sumo documenta ad vestram, Domine, regalem personam, ad quam præcipue debeo meum dirigere sermonem.

« Primum documentum est hoc quod dedit sanctus Ludovicus, vester prædecessor, amato suo filio : ut scilicet vos præbeatis talem cui dicere liceat veritatem, absque hoc ut erga vos aliqua utendum sit dissimulatione... Boni domini faciunt bonos consiliarios ut veritas sine adulatione dici possit. Audivi dominos de vobis loquentes qui de ingenua hac vos commendabant conditione quod scilicet libenter audiatis et bonis consiliis credatis. Nihil ergo restat, nisi semper bonum habere consilium.

« Et propterea secundum adjungo documentum, ne servaveritis, Domine, quamcumque personam quæ vos adhortatur ad malum aut ad veritati contrarium; quoniam dicit sapiens (Prov. XXIX, 12) quod *princeps qui libenter audit verba mendacii* et adulationis a famulis, *omnes ministros suos habet impios*. Et quid quærunt hujuscemodi famuli apud vos? Quærunt ne bonum vestrum et honorem aut regni vestri utilitatem? Facile est videre et cognoscere quod non. Retrahite, Domine, manum vestram et magnifica dona et constantes contemplabimini.

1. Gers. op., t. III.

« Dicit Seneca « ejus modi generis homines sequi dominum veluti muscæ mel sequuntur, milvus cadaver et latro mercatorem, hoc est ut habeant, acquirant et ad se trahant. » De malis loquor et secundum quod audivi a quodam qui unus de majoribus est Franciæ, quod interdum per aliquem talium irritum fuit factum et dissipatum omne quod magnum deliberaret consilium...

« Pro tertio documento dicam id quod jamdudum audivi a quodam de nobilioribus vestræ curiæ. Et est quod cum semel mentio fieret de superstitionis aut malæ fidei modo, respondistis potius vos misericordiam Dei usque ad mortem exspectare velle quam facere aut permittere ut quidquam circa vos fieret nostræ veræ fidei contrarium. O pulcherrima responsio et regiæ vestræ dignitati admodum congruens! o responsio quæ regi christianissimo jure optimo convenit!...

« Quartum documentum secundum modum quartæ infernalis bestiæ quæ ex duobus pugnantibus est conflata vitiis, quæ sunt fatua largitas et avaritia, quæ suum devastant et proximi bonum.

« Domine, hactenus populi vestri habuistis dilectionem et præcipue aliquorum habuistis singularem amorem et affectum specialissimum; hoc revera ingens donum est et magna Dei gratia. O Domine, si cognosceretis querimonias et gemitus, clamores et suspiria quæ hactenus et adhuc quolibet die vester facit populus, non est in vobis cor adeo durum quin ad compassionem moveremini. Quia certe tam magno vos diligunt amore ut parati sint et dispositi vobis obedire, seque et eorum bona pro vestra exponere persona et regno vestro. Considerate quod pulcherrimus est et preciosissimus talis populus thesaurus.

« Nec melius conservari posset argentum quam in talis populi manu; nec promptius reperire possetis in necessitate vestra pecuniam quam in hujus modi populi manu.

« Reperire, inquam, ad negotium aliquod arduum, non ad profusionem quamdam quæ sine necessitate effundit, et propterea in necessitate sua habet nihil. Solet dici, et verum est, hunc non esse patriæ suæ Dominum qui a populo suo odio est habitus. Nunquam permittat Deus, Domine, ut per hunc

aut alium modum vel permagnos nimium quæstores aut exactores adeo oneretis pauperem vestrum populum absque evidenti et justa necessitate, ut tandem omnia rumpi sit necesse et pro amore succedat odium, pro obedientia rebellio, pro devotis orationibus maledictio vestri miseri populi et subjectorum vestrorum, vocantium et exspectantium a Deo vindictam. Deum precor ne tamdiu me vivere sinat ut talem me oporteat videre desolationem, horrorem et confusionem. Et si a me quæratur, quæ sit justa necessitas? Non est meum definire.

« Finiam ergo hic sermonem in orationis forma », etc.

Hunc orationis finem si propius spectes, audacem et grandem, civilique flamma accensum invenies. Quid enim fortius quam quum Gersonius officia regis docet et commonet? Quid acrius quam quum Carolum regem orat et obsecratur ne plebem ære exhaustam gravioribus malis obruat? Rebellionum memoria quæ primordia regni turbaverant, menti ardorem verboque gravitatem addere videtur. Sinceram hic eloquentiam et quum ex pio sacerdotis corde tum ex fortissimo civis animo exundantem habemus.

Anno 1404, Universitati accidit ut contra vim injuriamque se suosque defenderit. Quod fuit ejus negotium cum Carolo de Savoiseyo cujus familia Universitatis quosdam alumnos sagittis lacessere ac pæne interemptos relinquere ausa fuerat. Causa ad Parliamentum delata, Gersonius pro Universitate gallica lingua peroravit, super hoc themate : *Estote misericordes*, ita ut nonnisi condemnatus et mulctatus Carolus de Savoiseyo abierit[1].

In hac defensione, etiamsi multa fuerint dicta fortiter, ut ex hoc loco judices : « Pensez à ce qu'on dira partout si un tel méfait reste impuni; on dira que cette cour ne punit que les povres, les petits mefaicts, ou ceux qui n'ont amis ou qui ne procèdent par voie de fait; ils vous compareront à l'épouvantail de chenevière qui ne se remue point, et lors les oiseaux quand ils apercoivent ceci n'en tiennent compte et font leur fiente sur eux »; tamen, anno 1405, ut supra diximus,

1. Gers. op., t. IV. — Du Boulay, t. V.

præcipuam orationem et maxime accuratam Gersonius habuit; quæ *Vivat rex* inscribitur[1].

Hæc oratio, nomine Universitatis, coram rege et pluribus ducibus, die 7 novembris, gallice habita, in tres partes divisa est, quibus orator quæ deceant regem quoad hominem et principem et christianum officia docuit, atque velut formam expressit ex qua exemplar optimum que gubernandi regimen duci possit.

Ea sic incipit :

« *Vivat Rex.* — Vivat corporaliter, vivat politice, vivat spiritualiter et indesinenter. Justis de causis, ut mea fert opinio, offert ac proponit salutationem istam regis filia, studiorum mater, pulcher et clarus sol Franciæ, imo vero totius christianitatis, Parisiensis Universitas, a qua huc missi sumus, in honorabilissimum conspectum vestrum, o Rex nobilissime et excellens princeps, et omnium dominorum sublimis et sapientissimis consilii quod, jure optimo, magnificentiam et regalem repræsentat majestatem... »

Quantum Universitas regem diligat et veneretur satis superque expertum. « Considerat et novit etiam regis filia suum bonum, suam fortunam, suum honorem, suam custodiam atque protectionem a vero patre pendere per benignam civilem et dignativam adoptionem. » Regem præterea necessarium esse, quis dubitet?

« Sed ulterius filia Regis, scientiarum mater scit et cognoscit per Theologorum, Juristarum, philosophorum et poetarum doctrinas, et præsertim per expressam Aristotelis in *Politicis* déterminationem, quod Regnum est politia et gubernamen melius, durabilius, convenientius et rationabilius quam quodcunque aliud, quod sit ad totius universi gubernationis exemplar, quæ fit per unum Deum supremum. »

Itaque triplicem vitam regis orator definiendam atque

1. Gers. op., t. IV. — Cf. Juvenal des Ursins : « En ceste saison, un notable docteur, nommé Jehan Jarson, chancelier de l'église Notre-Dame, fit une notable proposition et prit son thème : *Vivat rex*. Laquelle proposition est assez commune et escripte en divers lieux. Et si on eût voulu garder le contenu d'icelle en bonne police et gouvernement du royaume, les choses eussent bien été. Mais on avait beau parler, car les seigneurs et ceux qui étaient autour d'eux n'en tenaient compte et ne pensaient qu'à leurs profits particuliers. »

summa libertate, ut decet Universatem, exprimendam sibi proponit. « Divisio hujus propositionis. Tam in naturæ libro quam Scripturæ triplicem reperio vitam : vitam corporalem, carnalem et personalem ; vitam civilem, politicam aut universalem ; vitam gratiæ divinæ, sive spiritualem.

« Quare ergo non potest et debet similia verba veritatis magistra Regi suo et domino liberius intonare? quid totus diceret *Franciæ populus, quem quotidie per suos subditos ad patientiam et bonam obedientiam Regis et dominorum adhortatur?* Si non æque bene Regi loqueretur, ut sese benigne juste et rationabiliter erga populum suum haberet, videretur adulationis et dissimulationis factum, nec unquam nos populus audire vellet. *Demum Universitas repræsentatne universum regnum? Imo vero totum mundum,* in quantum adveniunt aut advenire possunt suppositi, ut doctrinam sapientiam que acquirant. Ipsa est tanquam vigorosum seminarium totius corporis publici ex quo homines nascantur totius perfectionis. *Ideo debet Universitas pro tota Francia*, pro omnibus statibus, pro amicis omnibus,... debet, inquam, rogare et dicere, Vivat rex. »

Sequitur prima pars de corporali vita regis, quæ nihil habet quod ad nostram causam referamus. In secunda autem parte insistemus, in qua præcepta sunt quum ad mores informandos, tum ad regnum optime exercendum.

Primum enim, quid sapientius, quid aptius quam ille *De intentione adulatoris mendacis* locus, ubi noster adulatorem fingit? « Adulator est tibicen qui semper ficta canit musica, et mutat modulationem suam ut dominus vult eum canere, aut corrizare. Ipsa est speculi imago quæ ridet quumquis ridet; plorat quando ploratur; semper gaudet alienum sumere vultum. Dicet dominus, caleo ; dicet adulator, sudo. Dicet dominus tempus esse frigidum ; dicet adulator se præ frigoribus tremere [1]. »

1. Quem locum cum versibus Juvenalis, de Græcis, conferre merito possis :

Natio comæda est. Rides? majore cachinno
Concutitur. Flet, si lacrymas conspexit amici,
Nec dolet. Igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem ; si dixeris æstuo, sudat. (*Sat.* III).

Officium est principis veritatem quærere, et quæsitam audire et auditam sequi :

« Princeps non solum concilium petere debet, sed illi credere et exsequi et id tenere secretum. Aliter enim videretur irrisio aut curiose factum, petere consilium et non exsequi...

« Tales ad concilia vocari deberent qui timerent Deum et periculum propriæ eorum conscientiæ, et qui bonum commune privatæ et propriæ præponerent utilitati. Aliter enim nunquam veritatem dicent absque timore aut favore : nec seriose mala populi aut quod displicere possit allegabunt; sed suos vertent humeros et tacebunt : aut profecto quod malum est loquentur homines sani sine fide et sine lege, avari, ambitiosi, quibus non est curæ unde quidquam veniat, dummodo habeant; homines etiam præsumptuosi stoliditate aut juventute nequaquam bonum constanter dabunt consilium...

« Juxta hanc considerationem *valde videretur expediens, ut de principalioribus regni partibus nonnulli vocarentur et audirentur tam nobiles quam clerici et cives qui libere miserabilem statum patriarum suarum exponerent*, quia multo melius noverunt per conquestum et experientiam quam hi qui jucunde Parisiorum inhabitant domos, ubi totius regni est pinguedo, et ubi vita sese ad cor retrahit : plus movent ea quæ evenerunt et quæ homines senserunt, quam quæ solummodo auditu percepta sunt... »

Deinde quid vehementius quam ille locus alter *De delectatione voluptuosa fortitudini*, ubi bellorum civilium mala, rura ab armigeris vastata, agricolas nudos et inopes miseratur Gersonius ?

« O Deus, quid contingeret, si intueremini oculis horribilissima et crudelissima facta; eo quo fiunt modo... Hæc incommoda non sunt vestris jussis, scio; sed non sufficit erga Deum et rationem. Parcite, si libere loquor... Heu ! qualis servitus est subjectorum aliorum, si hæc sit libertas. Ubi est pulcher ille regis titulus, rex Francorum? Multis in locis, hujusmodi titulus, ut mihi apparet, delatus est. Solet dici de quibusdam patriis per tyrannos gubernatis, quod opprimant et subjectos eorum explument, sed residuum securum est bene servatum. Numquid res tolerabilior est subjectis quam quum nihil tutum est, nec in corpore, nec in bonis, nec in cons-

cientia : quia tremebundus terror, timida cura ne spolientur per principes aut armigeros eos afficit gravissimo, impatientissimo et doloroso tormento, ut nostro tempore plus sint qui desperarint et sese occiderint...

« Quantas familias existimastis Regnum hoc reliquisse per talia opprobria? Quantæ mortalitates in filios, viros et bestias acciderunt, propter nutrimenti carentiam? Ea quæ laboranda et colenda essent absque labore et cultura dimittuntur. Miserum est ea cognoscere. Pauperes enim non habent unde seminent, aut nec equos nec boves habere audent propter principum et armigerorum timorem ; aut ad laborem parum afficiuntur quoniam eis nihil reliquitur... »

Addit ultra (col. 616) :

« Postquam necessarium est ad protectionem et vitæ civilis regis et regni nutritionem et conservationem accipere et levare subsidia, id in bona æqualitate aut æquitate per totum corpus mysticum fieri deberet. Hoc erat dictum Platonis, secundum quod recitat Tullius in libro *De officiis*, quod plus gravare unam partem quam alteram in exigendo est introducere perniciosam rem in republica, scilicet seditionem...

« Pauper aliquis homo non habebit de omni labore suo ut toto anno uxorem et filium nutriat, et jura persolvat et debita, nisi decem aut duodecim cados vini et duas aut tres mensuras bladii, quod omne peribit in una raptura aut armigerorum adventu. Quid aget, quid incipiet, quomodo vivet ? Hoc duntaxat cogitare solum grave est. Et in tali casu divites plures inveniunt exitus aut favores quam pauperes. Si vos omnes Domini mei bene simul essetis confœderati, quid vobis in corde Franciæ prodessent armigeri?... »

Tertia pars de spirituali vita, brevior est, et pacatior, atque etiam theologia adstrictior quam ut quidquam ad civilem eloquentiam detrahi possit Explicit cum votis pro pace Ecclesiæ, pro conclusione schismatis ac pro regiæ domus felicitate.

Ea fuit oratio de qua sic refert monachus S. Dionysii :

« Pro themate ter istud repetens *Vivat rex*, statum regis atque regni consistere in perfectione vitæ triplicis, videlicet corporalis, politicæ et spiritualis diserto ac prolixiore ser-

mone disseruit, multis rationibus auctoritatibus et exemplis. Ipsa ad longum narrare compendio, quod studiose quæro, officeret et forsitan attediaret lectorem. Ideo breviter et succincte de prima quæ componitur ex quatuor elementis, et ex indispositione regis corporali faciens mentionem, summo studio instandum esse dixit ejus sanitati, eo etiam renitente ut sic incolumi eo posset status reipublicæ prosperari. Inde procedens ad vitam politicam quæ quatuor virtutibus cardinalibus debet regi, cuncta curialium vitia hæc impedientia elegantissime et diffuse reprobavit, asserens in finalibus regnum debere proximo multa pati, nisi ab his cessantibus emendationi condigne subjacerent. De spirituali vero vita quæ in solido fundamento virtutum theologicarum consistit, faciens unum verbum tandem ipsis dominis præsidentibus supplicavit ut unionem Ecclesiæ Universitatisque libertates recommendatas haberent. » (Lib. XXVII).

Huic sermoni recte accedunt decem *Considerationes principibus et dominis utilissimæ*[1], secundum quosdam auctores ad annum 1408 referendæ, quarum sextam atque septimam operæ pretium est expromere.

Sexta enim sic se habet : « Error est regem aut principem informare ipsum justo suo jure subjectis suis et eorum bonis ad suam voluntatem uti posse, absque alio titulo publicæ utilitatis aut necessitatis imponendo quascunque rationes ad libitum suum. Nam hoc pacto sine alia ratione agere, tyrannizare est, nec regnare, secundum veram et propriam inter regem et tyrannum distinctionem quemadmodum ostendit Aristoteles (Polit). *Rex est pro bono publico. Tyrannus autem omnia non nisi ad propriam suam vertit utilitatem et voluntatem.* »

Et septima : « Error est dicere terrenum principem in nullo suis subditis, dominio durante, obligari. Quia, secundum jus divinum et naturalem æquitatem et verum dominii finem, quemadmodum subditi debent fidem, subsidium ac servitium domino, sic etiam dominus subditis suis fidem debet et protectionem. Et si eos manifeste et cum obstinatione in injuria et de facto prosequatur princeps, tum regula hæc natura-

1. Gers. op., t. IV.

lis, *vim vi repellere licet*, locum habet. Et id Senecæ in tragædiis : *Nulla Deo gratior victima quam tyrannus*, etc. Ad idem est Tullius III, de Officiis. »

Quæ *Considerationes* multo majoris sunt pretii quam recentior *Tractatus de considerationibus quas debet habere princeps*, quem noster in Lugdunensi recessu, extremis vitæ annis confecit (anno 1429), cuique adjecit *Instructiones ad dominum Johannem Majorem*, tunc filii regis Caroli VII præceptorem[1]. Quarum considerationum undecima tantum aliquid habet commendabilis, quum ita se agatur :

« Commoneatur frequenter idem Dominus Delphinus quis et qualis sit finis hominis, et ad quid factus est : scilicet ad gloriam Paradisi et evitationem Inferni ; et quod vita nostra non est sicut brutorum quæ moriuntur cum corporibus... Et quomodo sunt omnes homines tam pauperes quam divites et reges sub eadem conditione nati ; et ideo nihil melius hominibus magnis humanitate, clementia et humilitate circa fratres et coæquales sibi in sorte beatitudinis futuros. »

Quod si minora hæc et quasi senescentia opera negligamus, ut ad orationem anno 1405 habitam, atque ad Considerationes illam sequentes revertamur, corpus quoddam doctrinæ civilis et tanquam epitome politicæ scientiæ pro temporibus Gersonii integrum et perfectum habemus[2].

Etenim, ut opinatur noster, sine regis imperio manuque res civilis stare non potest; cujus tamen arbitrio aut libidini, multum abest quin omnia tradi debeant. Quippe necesse est regem uti ratione et consilio, et præsertim ab adulatoribus diffidere, et omnium subjectorum congressus et hortationes requirere. Inde, ut quemadmodum ipse prædicit, « *valde videretur expediens ut de principalioribus regni partibus nonnulli vocarentur et audirentur tam nobiles quam clerici et cives* qui libere miserabilem statum provinciarum suarum exponerent. » Sic tres nationis gallicæ ordines, nobilium scilicet, clericorum et civium conspiratione quadam ad bonum publi-

1. Gers. op., t. III.
2. Ea fuit oratio quæ maximam obtinuerit apud lectores gratiam, atque sæpius fuerit in lucem postea edita, annis scilicet 1500, 1560, 1561, 1588, quippe quæ politicam scientiam qualem tunc docuerit Universitas, comprehenderit atque effinxerit.

cum, rege favente, niti debent : quanquam unicuique horum pars sua peculiaris et tanquam proprium munus assignatur, ita ut gradu quodam distingui videatur. Qua in distinctione, tertius status, id est populus, ad locum infimum detruditur.

Hanc reipublicæ formam quæ apud Christinam de Pisan, æque ac in orationibus Gersonii exprimitur, in oratione posteriori, anno 1413 recitata, rursus adumbratam habebimus. Non consequitur ut absoluta sit quum regis potestas tum populi servitus. Imo contra. Expende enim illas *Considerationes principibus et dominis utilissimas*, et sextam, qua regem, proposita sibi publica utilitate, repudiata omni libidine, a tyranno distare Gersonius voluit, quia « hoc pacto agere, sine alia ratione, tyrannizare sit, non regnare » ; et septimam, qua in imperando officia, in obediendo terminos imponit, atque adversus tyrannum, *secundum legem naturalem*, vim opponendam esse existimatur; liberrimam profecto atque etiam audacem sententiam invenies.

Itaque nil mirum si optimates talibus præceptis repugnavisse traduntur, ut legimus apud Bullæum : « Non tulit hoc aquo animo Aurelianus qui tunc cum regina Meliduni morabatur. Putavit sibi factam injuriam quod illa (Universitas) de regni regimine ad regem perorasset. Itaque quum ad ipsum ducem suos destinasset legatos, non abstinuit tamen Aurelianus verbis durioribus et reprehensione, cum ipsa ex omnigenis suppositis constet, non debere de regni moderamine judicium ferre, sed eam curam sollicitudinemque principibus consanguineis relinquere[1]. »

Etiamsi principes reipublicæ curam, reipublicæ detrimento, sibi arrogavissent, tamen rerum conditio pejor ad forenses discordias Universitatem magis evocavit. Ita evenit ut, anno 1407, duce Aurelianensi per insidias interempto, utraque parte decertantium eam ad se trahente, a causis civilibus abstinere Universitas non potuerit.

Etenim nemo ignorat quæ fuerint, hoc temporis momento, partes a magistro Johanne Parvi susceptæ qui, jussu ducis Burgundiæ, necem ducis Aurelianensis merito perpetratam contenderit, verbosamque illam *justificationem* explicuerit

1. Du Boulay. *Hist. Univ. Paris*, t. V, p. 120.

quam apud Monstreletium perlegere vix sustinemus. Is fuit abhinc hominum furor, ea discordia, ut regnum nunquam quieverit, fueritque inter Burgundiones et Arminiacos distractum. Quibus in angustiis, ad placandos procerum animos, Universitas quam plurimam operam dedit. Sic, anno 1408, occasione pacis Carnutensis, de qua tunc agebatur inter ducem Burgundiæ atque filios ducis Aurelianensis, Gersonius noster coram rege et optimatibus *propositionem* habuit cui pro themate *Veniat pax* inscribebatur[1], quæque sic exordiebatur :

« Veniat pax dicit et precatur modo cum sancto propheta Isaia filia regis, veritatis doctrix, mater et fons omnium studiorum, pulchrum lumen et clarum nobilissimi et christianissimi regni Franciæ... Et habemus omnes philosophos et alios hujus Universitatis sapientes ab initio mundi huc usque singulariter pacem commendasse et consuluisse.

« Quare? quia *in pace omne includitur bonum* dicit sanctus Augustinus. Neque quidquam est desiderabilius, commodius, honorabilius pace. Cogitate ergo, nobilissimi et potentissimi reges, duces et principes et domini, in quibus repræsentatur regalis auctoritas Franciæ in regis absentia et in te præcipue, metuendissime domine de Guienna : cogita quid dicere sæpe possit Regis filia, humillima tua et benevolentissima soror per dignativam adoptionem... »

Sequebantur aliquot considerationes ex quibus intelligebatur pacem necessariam esse Ecclesiæ propter schisma, reipublicæ propter civile bellum. Postquam pacem Ecclesiæ necessariam esse ostenderat, tum quoque reipublicæ perutilem demonstrabat.

« Vertamus meditationem nostram de pace ad alias supra enumeratas causas. Et dicamus pacem non modo esse bonam et religiosam, verum etiam meritoriam, utilissimam et salutarem pro illis qui sunt in vita. Imprimis est ad corroborationem totius status regalis dominii : per eam enim auctoritas regalis et dominium custoditur, et conservatur obedientia subditorum ad dominos. Certum est autem quod cum domini sunt ad invicem uniti et se mutuo amant, se adjuvant et

1. Gers. op., t. IV, p. 625. Gallice in mss.

tutantur, subditi magis obediunt quam si inter eos videant divisiones odia vel separationem...

« Videtur in scholis quibus multi præsunt præceptores quod cum ipsi præceptores contra se invicem concitantur et irascuntur, gaudent discipuli, et irrident et apparet eis quod saltem pro tunc non vapulabunt vel non dicent lectionem suam aut absolventur ab aliquo prœceptorum suorum [1]. Hæc est puerorum conditio et etiam populi similis pueris, semper mutationem præceptorum appetere aut dominorum.....

« O bone, devote et obedientissime popule Franciæ, cogitate bene et judicate quomodo pacem procuretis. In divisionibus enim, in præliis, in seditionibus, nihil potestis aliud quam amittere aut perdere et nisi cadere ab una servitute in aliam, vel ab uno damno in aliud pejus ; etiamsi modo in momento pariter (quod Deus avertat) omnes mortui essent principes. Non opus est ad antiquas vel extraneas recurrere historias ad hanc doctrinam docendam, ad oculum vidimus. Clamemus igitur omnes communi assensu a magno usque ad parvum pacem, quemadmodum clamatur ad ignem et aquam cum videntur vicinorum domus comburi. Clamemus, clamemus uniformiter : *Veniat pax.* »

Attamen, quasi reformidabat ne audacior esse videretur, ac forsitan reprehensionis crimen potius quam misericordiæ pateretur, posterius in perorando sic loquebatur :

« Parcite mihi, Domine, ob honorem Dei et summæ vestræ nobilitatis ; parcite mihi, si minus teneo tale frenum, processum et ordinem, talemque mensuram in verbis meis et gestibus quemadmodum deberem. Amor pacis et magnus timor afflictionis me compellunt, me pungunt et affligunt taliter ut ratio non satis locum suum obtineat. Audistis admodum patienter et benigne, gratiæ sint excelsis vestris Excellentiis, exhortationem factam quamvis modice tenere et insulse (quia sensus parvus est et tempus breve), ex parte filiæ regis junctæ universæ Ecclesiæ quæ vos orat, clamat et supplicat : *Veniat pax !* »

1. Talia verba optime professorem probant, pueris informan dis intentum, *parvulisque ad christum trahendis* extremos vitæ annos impendentem.

Fortis quidem oratio et gravis, et pacis legumque amore succensa. Nihil vero in disserendo uberius, aut in dicendo strictius, nihil quoque civili eloquentiæ magis proximum noster attulit quam quod apud illum sermonem, quem eodem anno 1408, pariter coram rege, *pro Justitia* habuit, cujus thema fuit: *Diligite justitiam qui judicatis terram*[1].

Hujus exordium ita se habebat:

« Ad exponendum convenientius quod mihi dicendum est coram sede hac regulari justitiæ, coram vobis Dominis altissimæ et claræ prudentiæ, ubi sita est et repræsentata regalis Franciæ auctoritas; ad exponendum, inquam, ex parte filiæ regis, scientiæ, studiorum matris, Universitatis Parisiensis meæ; exordior per verbum sapientis regis Salomon qui, secundum nomen suum et interpretationem significat qualis esse debeat unusquisque. »

Materiam deinde sermonis in tres considerationes dividebat, scilicet: « Consideratio prima est cognoscere quæ res est Justitia, ne procedamus in æquivocatione vel diversitate aut ignorantia. Consideratio secunda est cognoscere qui sunt judices, et qui terram judicantes, hoc est terreni judices; talibus enim verba facere debeo, sicut faciebat Salomon. Consideratio tertia est cognoscere hos qui diligunt justitiam et signare hujus aliqua signa; deinde descendere ad casus particulares.

« Omnia hæc tria puncta inclusa sunt in nostri thematis terminis: *Diligite justitiam...* »

Igitur, apud primam disputationis partem justitiæ originem et quasi fontem inquirebat: qua in indagatione veterum philosophorum præcepta occurrebant, quibus maxime imbutus orator videbatur:

« Quoad primam considerationem dicamus quod *Justitia est perpetua et constans voluntas jus suum unicuique tribuens.* Justitia est perpetua, seu permanens et constans aut stabilis voluntas unicuique jus suum, vel quod suum est aut ad eum spectat, tribuens vel reddens. Apparet primo justitiam divinam esse voluntatem. De nulla enim alia voluntate dici potest quod sit perpetua et constans et immobilis. Et hoc divinitus

1. Gers. op., t. IV, p. 642.

dictum est et verissime. Quemadmodum enim summa Dominatio, regnum, imperium, aut dominium in Deo est, vere et essentialiter Deus rex regum et Dominus dominationum est. Etc. Pariformiter, de justitia dici potest quæ est propria proprietas dominii, seu dominationis. In hac veritate bene cognovit Tullius cum ait *Jus non emanere ex scripturis judicum*, ut ex duodecim tabulis, sed *ex ratione Jovis*, per quem Dominum intelligebat... »

Post *justitiæ* originem tum ad *legum* fontem accedebat: «Sed antequam accedamus, dicamus adhuc in prima consideratione de Justitiæ natura, ad cognoscendum qualis esse debeat justitia humana et creata, respectu justitiæ divinæ et increatæ. Et dicamus justitiam humanam Dei justitiæ conformari debere, sicut vero suo exemplari, quia eo valet ipsa et est honorabilis quo imitatur hanc exemplarem. Sicut, per figurale exemplum, lex præpositi aut balivi bona est eousque quousque ipsa regis legem imitatur et illi conformatur.»

Ideo tres justitiæ humanæ virtutes, nempe constantiam, prudentiam, et benignitatem ad politiam, necessarias esse existimabat.

In secunda parte, societatis humanæ legem et conditionnem summa doctrina docebat. Unde nata esset legis humanæ necessitas, id est, ex pravitate humana, summa eloquentia demonstrabat :

« Meditemur etiam hominem creatum fuisse sine peccato, et in justitia pro statu innocentiæ. Homo in illo statu non indigebat legibus, aut justitia activa coercitiva, ut ad bonum converteretur. Non igitur requirebatur dominatio civilis aut politica. Verum sufficiebat dominatio secundum originem et justitiam ad reddendum unicuique quod suum est, Deo, corpori suo, suo proximo, omni creaturæ... Accidit autem quod propter transgressionem legis quæ imposita erat homini et denuntiata, et propter inobedientiam mox regnum hominis et dominium in tyrannidem et subjectionem versum fuit, ac omnino veluti infirmatum et perversum ! Homo enim perdidit suæ dominationis titulum, justitiam videlicet originalem. »

Quæ lex societati humanæ ut permaneat et subsistat necessaria est :

« Adjiciamus insuper et dicamus quod posteaquam homo natura sua civilis est et communicativus et talem habet indigentiam cui convenienter suffere non potest absque alterius subsidio, homo inductus fuit et velut compulsus in communi vivere cum aliis, et opus fuit instituere et ordinare aliquos convidendi modos. Et virtus justitiæ quæ ad faciendum inclinat, justitia nominatur civilis, aut politica. Politia, ut dictum est, est hominum societas ad bonum ordinata, ad recte præcipiendum et obediendum ut in pace vivatur et tranquillitate et sufficientia, aut quoad vitam hanc temporalem aut quoad spiritualem. Justitia politica est virtus quæ inclinat reddere unicuique quod suum est, secundum ordinationes et finem politiæ, ubi ipsa fuerit, sive temporalis, sive spiritualis... »

Deinde orator legem naturalem aut *civilem* a lege *canonica* secernit, atque paulo ulterius ad necem ducis Aurelianensis alludit : « Dicit lex antiqua : quod justum est juste exsequeris. Patet ergo hanc consequentiam non valere : homo hic mortem juste meruit, ergo is qui eum occidit, non peccat, non est puniendus. »

Denique ad tertiam partem aggreditur, quæ trunca tradita est atque ex abrupto deficit. Nihilominus oratio satis suppeditat unde doctrinam de societatis civilis fundamentis, de origine legum, de officiis judicum prope absolutam habeamus, atque veterum philosophorum sententiis, jurisperitorum commentariis, scolasticorumque doctorum præceptis confirmatam.

Præterea, eam conferre licet cum ejusdem auctoris libello *De potestate Ecclesiastica et de origine juris et legum*, edito Constantiæ, anno 1415, in quo simili animo similis materia tractata est[1]. Cujus operis, ultima pars (Consideratio decima tertia) maxime notanda est.

Postquam enim de justitia ac de jure eadem pæne definitio data est : « Describitur itaque justitia quæ est perpetua et constans voluntas, jus suum unicuique tribuens. Hæc autem descriptio competit principaliter justitiæ divinæ in ordine ad suas creaturas.

1. Gers. op., t. II. — Cf. Bourret, op. cit. qui hunc locum *de Origine legum* gallice restituit.

« Jus vero sic describitur. Jus est potestas, seu facultas propinqua conveniens alicui secundum dictamen primæ justitiæ. Porro dictamen hoc. Lex dicitur, quia Lex est regula conformitatem habens ad dictamen rectæ rationis; dictamen vero rectæ rationis et primæ justitiæ conveniunt in Deo synonyme. » Legem naturalem ac legem canonicam rursus distinguit Gersonius, atque ita de auctoritate, ut ait, « *de dominio et de politia* », scribit :

« Politiarum vero, alia est cælestis, de qua nihil ad præsens; alia est humana, duplex viatorum; una quæ vulgato et appropriato nomine dicitur ecclesiastica, altera secularis. Secularis autem dividitur ab Aristotele politizante in tres : quarum primam vocat regnum; secundam dicit aristocraticam; tertiam nominat vocabulo generali a proprietate Politiam quam dicere possumus Timocratiam. Describitur regnum quod est politia sub uno bono, vel expressius, quod est congregatio communitatis perfectæ, sub uno, secundum leges suas bonas pro republica. Dicitur autem ille bonus, vel Rex, vel Imperator, seu monarcha, qui non proprium principaliter, sed commune bonum intendit in suo principatu. Describitur aristocratia quod est politia sub paucis bonis, vel expressius quod est congregatio communitatis perfectæ sub paucis, bonum reipublicæ per leges suas principaliter intendentibus...

« Sunt ex adverso politiæ, si aliter appellari merentur quæ non libero et tanquam paternali regimine ducuntur, sicut præcedentes, sed despotico et simili jugo trahuntur; vel ex proprio demerito, permittente Deo *qui regnare facit hypocritam*, dicente Job, XXXIV, 30, *propter peccata populi;* vel aliunde justo Dei judicio. Vocat autem eas Aristoteles primam tyrannidem; alteram oligarchiam, tertiam democratiam. In tyrannide præsidet unus, proprium tantum modo bonum inquirens, volens subditos impotentes, indoctos et divisos ab invicem esse. In oligarchia præsident pauci similis conditionis super alios. In democratia præsidet sibi ipsi multitudo nequam, ubi quærit unusquisque quæ sua sunt, non quæ communia. »

Ad summam, sive orationes, sive libellos, sive Considerationes Gersonii spectes, omnem hanc ferme doctrinam, sub

Aristotelis nomine, ex Aquinate vere haustam invenies; sententiam Thomæ de societatis civilis origine, de legum utilitate, de regimine principum, quam in nostro prœmio, necnon consulto, protulimus, cum Gersonii sententiis aperta cognatione conjunctam judicabis; denique miraberis quantum apud Universitatem atque peculiariter apud Gersonium summi doctoris auctoritas valuerit.

Sed malo temporum hominumque discordia, eo jam ventum erat ut facilius esset veterum præcepta recordari quam præsentes leges sequi. Anno 1411, adeo sæviit circa Lutetiam civile bellum ut Universitas iterum negotiis publicis interfuerit, legatosque ad duces Bituriæ ac Burgundiæ delegaverit. Ad Burgundionem missus fuerat Rolandus Rameri rector Universitatis die 24 septembris. Is verba fecit de miserando Universitatis statu ob deprædationes utriusque partis militum, censuitque commodius esse pacem quæri qualemcunque quam omnia diuturno Marti committi. Cujus adhortationibus pactæ sunt induciæ apud Winchestram, vulgo *Bicêtre*, principesque a Parisiis recedere coacti.

Pax vero brevissima fuit. Anno 1411 vergente ad finem, Arminiaci prope Parisios sedere, ac rura populari, magna incendiorum, cædium, atque omni genere vexationum copia. Unde ingens furor apud Parisienses coortus est : quo rex ipse adeo commotus fuit, ut contra Arminiacos litteras scripserit, Universitatemque hostibus opposuerit. Eæ sunt litteræ, datæ die 14 octobris, quæ ipso favente rege et jubente, homines doctos litterarumque amantes, ex pace scolari ad tumultum civilem contrahebant, genusque eloquentiæ, collegiis aptum, cathedræ dicatum, forensibus clamoribus immiscebant[1].

Dux Burgundiæ, Picardia relicta, ubi militem comparaverat, ad Sequanam descendit, Lutetiamque ingressus contra Arminiacos defendit : ex quo magnam apud plebem gratiam atque apud regem auctoritatem percepit. Arminiaci vero, viribus exhaustis, cum Henrico IV, Angliæ rege, societatem fecerunt, quod vel turbidis hisce temporibus, quibus fas versum atque nefas, inhonestissimum visum est[2]. Litteræ Ar-

1. Hæ litteræ sunt apud Du Boulay. Vide Appendicem B.
2. Quod fœdus Arminiaci per monachum Jacobum Magni feriendum

miniacorum et Anglorum in Normannia deprehensæ, perlectæ sunt in palatio S. Pauli, coram regio concilio, ante Universitatis doctores, civesque Parisienses maxime notabiles, et contumeliose jactatæ. Decretum est igitur incedere contra Arminiacos, atque regalis exercitus sub mœnibus Biturigum castra posuit. Tamen obsidione languente, multis utrinque morbo consumptis, agris præterea undique vastatis, principes in colloquium venerunt, atque apud Autissiodorum (vulgo Auxerre) pacem juraverunt, die Augusti 22, cujus conditiones a rege commissæ sunt Universitati examinandæ[1].

« Paulo post, ut scribit monachus, quia turbarum causa sumpta fuerat ex prava reipublicæ administratione, rex conventum habuit Parisiis solemnem et frequentissimum ad habendum de reformatione consilium. Placuit unanimiter magnatibus pro bono publico ne rursus oriretur rixa et contentio inter sese ab Universitate exponi mala causasque malorum regni et remedia proponi[2]... »

Legati trium ordinum in palatium S. Pauli convenerunt, die 30 januarii 1413. Ibi, cancellarius Guiennæ concionem primus habuit, in qua rerum statum regisque voluntatem explanavit; deinde aliquot oratores questi sunt de prava æris publici gestione; denique Universitatis civiumque Parisiensium nomine, Benedictus Gentianus, doctor in sacra pagina, peroravit.

Thema hujus fuit : *Imperavit vento et mari et facta est tranquillitas magna.*

« Dixit duos ventos, seditionis scilicet et ambitionis, regno multipliciter nocuisse et hunc primum qui ex ore assentatorum et oblactorum sæpius aures principum penetrat et dominorum multis rationibus reprobavit.

« A prædicta iterum Universitate reverenda quemdam rotulum excessivas pensiones omnium et singulorum famulantium regi a cancellario usque ad minimum continentem et quomodo per nimium numerum thesaurariorum ac receptorum prodigorum ordinariæ et extraordinariæ opes distrahebantur regiæ

curaverant. Jacobus autem, nuntio itineris ad Anglos vulgato, fugam adeo precipitaverat ut post se litteras ac proditionis testimonia amisisset.

1. Quas invenies apud monachum S. Dionysii. Lib. XXXIII.
2. Cf. Monstrelet, ch. CVI.

in irreparabile damnum regni publicum susceperat. De nominatis tamen, judicio multorum circumstantium, superficialiter nimis loquens.

« Sic, inquit, reputant vos omnes regnicolæ a provida circumspectione felicis recordationis pii vestri genitoris deviare, idque mater mea Universitas, filia vestra et obedientes cives vestri reprehensibile putant[1]. »

Etiamsi quibusdam Gentiani verba probarentur, tamen multis inutilia, plerisque timidiora visa sunt, quia, ut refert monachus S. Dionysii, de regalibus famulis « *nimis superficialiter locutus esset.* » Itaque legati, altera die audientiæ indicta, rotulum conficiendum curaverunt, quem magistro disertissimo, Eustacio de Pavilliaco, publicandum tradiderunt[2].

Ille die 14 ejusdem mensis locutus est audacter, semper memorans se *Universitatis ac civium nomine* loqui, atque in hunc ferme modum peroravit :

« Regiæ altitudini humilis vestra Parisiensis Universitas et in cunctis obedientes vestri cives qui honorem vestrum super omnia diligunt, prædictos vobis exposuerunt excessus quos

1. Mon. S. Dion, XXXIII. Cf. Juvenal des Ursins.— « Il proposa et prit son thème *Imperavit ventis et mari,* etc., et montra deux vents qui dominaient fort au royaume de France, c'est à savoir sédition et ambition. Puis déduisit la pauvreté du peuple et les grands aides qui étaient dessus comme quatrièmes, impositions et gabelles, et la grande et excessive mangerie des finances qu'on y avait fait. Or de ce ledit Gentien n'avait rien particularisé, ni nommé aucuns particuliers, lesquels avaient grands profits et excessifs. »

2. « Jussu venerabilis rectoris quidam magister in artibus facundissimus surrexit qui magnum inde rotulum singulos regios officiales nominans qui receptas pecunias suis usibus applicantes ærarium regale penitus exhaustum reddiderant, fere per horam et dimidiam seriose alte et intelligibiliter perlegit. » (Mon. S. Dion, *ibid.*)

Cf. Juvenal des Ursins.— « Derechef ils demandèrent audience, laquelle leur fut octroyée à certain jour. Auquel proposa un notable docteur en théologie, de l'ordre des Carmes, nommé maître Eustache de Pavilly, lequel récita en bref ce qu'avait dit Gentien. Et pour particulariser exhiba un grand rolle qui fut baillé à lire à un jeune maître ès arts, lequel le lut bien grandement et hautement. Et y étaient déclarés les grands et excessifs gages que aucuns officiers prenaient, et n'y eut rien épargné, jusqu'à la personne du chancelier et autres personnes, et des états et des pompes qui se faisaient, et le gouvernement tel qu'il était, et nommément aucunes gens de finances, particulièrement qui avaient de grandes finances et en avaient amendé excessivement. Et requérait qu'on le prît et leur bien aussi. »

et alias latius declarabunt ; et cumpluries, ut nostis, non causa alicujus emolumenti frustra id explicuerint in regali officio, ideo supplicant ut constituatis aliquos de genere vestro qui prædictos habeant corrigere præcipientes prælatis et civibus evocatis ut nominent qui provinciis suis similes consueverunt perpetrare. » (Apud mon. S. D. *Ibid.*)

Illud quidem haud negligendum esse existimaverim quod monachorum plerique, ut Jacobi Magni, ut Eustacii ipsius exemplo constat, sæpe adversus optimates, sæpe etiam adversus episcopos atque abbates, infesta quadam et procaci voce quasi latraverint ; seu ex regulis suis, præsertim apud ordines prædicantium et mendicantium, æqualitati vehementer studuerint ; seu superbiæ procerum aut molliliæ episcoporum inviderent ; seu denique ambitioni aut etiam cupiditati inservirent, ut ex isto Eustacio conjicere licet, si Juvenali credendum est, qui Eustacium, *emolumenti* causa, ipsum cum lanionibus coire arguerit[1]. Quæ monachorum audacia posterius Reformationis controversiis atque Liguæ tempestatibus etiam increvit.

Gentiani verba plebi legatisque acceptissima rex patienter audiit. Tum quidam electi sunt qui publica incommoda per provincias inquirerent, pacemque restituendam reosque puniendos curarent.

Novum illud et inauditum adhuc visum est, Universitatem Parisiensem, id est doctorum hominum cœtum, libris tantummodo deditorum, consiliis regni interesse, publicisque negotiis manum admovere. Id præsertim magnatibus molestissimum fuit, si monacho S. Dion. fides adhibenda est.

« Tunc plures circonspectos graves et modestos viros audivi indecentissimum reputasse cum tam arduum ausi fuerant attentare quod solum arcanis regis consiliis et a lilia deferentibus debebat terminari. « Ineptissimum quidem, inquiunt, reputandum est quod libricolæ et speculationi

1. « Mais ledit Pavilly *qui tendait fort au profit de sa bourse*, et s'intéressait avec les Gois, Saintyons, etc....» (Juv. des Ursins, 1413.). Cf. Michelet. *Hist, de France*, IV, p. 150 : « Les moines mendiants, nouveaux membres de l'Université, avaient, outre l'aigreur de la scolastique, celle de la pauvreté. Ils étaient souvent haineux et envieux par-dessus toute créature; misérables, et faisant de leur misère un système, ils ne demandaient pas mieux que de l'infliger aux autres. »

dediti, lucri quoque gratia mercibus et mechanicis artibus assueti regnorum gubernacula habeant moderari et suis legibus magnificentiam principum ac statum regium ad quod revera videntur principaliter tendere. » Derisionis occasionem inde sumentes, nonnulli etiam circumspecti eos sæpius judicabant adventum sermones subtaciturnitatis tumulo sepeliendos dedisse[1]. »

Universitas Parliamentum rogaverat ut secum societatem faceret[2] (die 17 februarii) : « O clarissimi præsides regiorum tribunalium, ceterique celeberrimi judices qui egregiam illam Curiam illustratis, scripserat Nicolaus de Clemangiis, expergiscimini tandem aliquando et regni non dico statum, quia *non stat*, sed miserabilem lapsum adspicite. » Repugnante illo quoniam omnem operam justitiæ impendere vellet, Universitas ab inceptis non destitit.

Attamen dux Burgundiæ, auctoritate Universitatis fretus, ceterorum civium vires requirebat. Sed melior pars civium Parisiensium deerat, adeò multi perierant : supererat pars quædam recens admodum, plebeculæ vicinior quam burgensium ordini, manu quam ingenio validior, ad turbandas res aptior quam ad gerendas ; scilicet lanionum gens, in qua eminebant fratres Legoues macellarii, Johannes de Trecis chirurgus, atque Simon Caboche, a quo *Cabochiorum* seditio vulgo nomen accepit.

Favente Burgundo, laniones urbem voce, vi, armis implere : præpositum regium, Petrum de Essartis, in carcerem dejicere ; ducem Guiennæ, regis filium, quum consiliis tum metu impellere. Rogata Universitas, quemadmodum ipsa nuper rogaverat Parliamentum, ne ab eis discreparet, respondit solum « quod pro posse atque libenti animo pacem inter eos atque ducem Guiennæ procuraret. » (Mon. S. Dion.). Interea Eustacius de Pavilliaco Universitatis, Johannes de Trecis lanionum nomine, apud delphinum modo, modo apud regem verba congerebant.

Legimus enim apud monachum S. Dionysii :

1. Mon. S. Dion. l. XXXIV.
2. Cf. Douet d'Arcq. — *Choix de pièces inédites relatives au règne de Charles VI*, n° 160. (2 vol., 1863.)

« Solemnis magister Eustacius de Pavilliaco qui primus coram duce Guiennæ perorandum susceperat, sequenti die multa notanda auctoritatesque sacræ Scripturæ adduxit *ex quibus posset componi tractatus valde magnus*. Et ideo generalia persequens quas virtutes debeant amplecti digni in sceptris sedere, quod culmen sibi jure successionis debebatur, disertissime narravit : quæ autem vitia multos ad regnandum reddiderunt inhabiles per historias ostendens et præcipue Francorum... » (XXXIVC, 6).

Idem, die 6 maii, apud regem peroravit :

« Magister Eustacius de Pavilliaco Tulliana eloquentia pollens, apta quoque ad alliciendum animos auditoris, ad requestam ducum seditionum civilium perorandum coram rege suscepit... Ad propositum inter cetera exempla, ineptum reputans hortulanum in horto odorifero herbas non eradicentem nocivas, quæ non sinunt odoriferas incrementum suscipere ; sic et impunes relinqui impedientes ne a floribus liliorum prodeuntes virtutum summum culmen obtineant, indecentissimum reputavit, addens regem debere optare ut tales velut radices inutiles evellantur. » (*Ibid.*).

Die 26 maii, publicata est ordinatio de reformatione regni, quæ præsertim ad justitiam et ad impositiones spectabat. Ubi vero ad rem ventum est, dissidium ortum est inter laniones et doctores, quum alii vim exercendam, alii contra pacem quærendam esse censerent, neque tantum vitam multis civibus, sed etiam divitias ceteris laniones arripere studerent. Quorum rabiem pro parte maxima Gersonius noster expertus est qui de talibus sceleribus tacere non sustinuerit. Ædibus enim vastatis, mortis periculum pæne effugit, atque in turribus basilicæ Parisiensis latere coactus est.

Itaque cives Parisienses quibus honestior mens erat et cura reipublicæ major vim atque injuriam pati diutius noluerunt. Juvenale Ursinorum duce et auctore a proceribus auxilium petiverunt. Dux Bituriæ, magnatesque qui prope Lutetiam cum copiis sedebant, urbem ingressi sunt quam dux Burgundiæ deseruit, ac prostratam regis auctoritatem restituerunt.

Initio mensis septembris, pacata Universitas in pacata urbe regi se devotissimam esse professa est, ore Gersonii.

Qua in oratione gallice tunc habita, non Universitatis tantum neque Parisiorum, sed etiam totius Galliæ animus respirare videtur [1].

Hujus thema erat : *Rex in sempiternum vive.*

« O Rex nobilissime et excellentissime, vive in sempiternum sine fine. Hanc tibi pulchram dat et commendat salutem tua humillima filia, Universitas Parisiensis. At quomodo regi dici potest vive in sempiternum, quum omnes moriamur? Respondeamus, regi triplicem inesse vitam, vitam naturalem aut corporalem, vitam spiritualem, vitam civilem et universalem, atque unamquamque harum perdurare. Etenim vita naturalis, quam dat anima corpori, perdurabit quando corpus resurget; vita spiritualis quæ data est animæ perdurabit nisi peccabitur mortaliter; vita civilis aut universalis quæ regi datur amore publici communisque boni in hoc regno perdurat legitima successione regiæ gentis...

« Specialem hanc salutem, si quæritur cur det filia Regis, cur bona civitas Parisiensis, cur Parliamentum, cur nobiles et clerici (quorum sum interpres, ut fatebuntur), si quæritur, inquam, cur hanc dent hoc temporis momento, optima ratione dicam, o Rex.

« Sapientes dicunt servitutem mortem esse civilem. Quod sic se habet jamdudum. Quod dolemus ac referre abhorremus. Tu enim ac tuus legitimus successor, dux Guiennæ, domina nostra regina, atque etiam tui equites una et clerici, tui quoque boni cives, exquibus pendet tua vita civilis et universalis, cecidistis in servitutem quamdam necnon durissimam contumeliosis incœptis quorumdam hominum mediocris vel etiam minimi ordinis [2] qui privatas commoditates quærebant. Quod dico ne ultioni sit aut pœnæ, sed tantum veritatis gratia, atque ut in futurum talibus eventis providatur. Igitur, præsertim nomine urbis Parisiensis, atque ex intimo corde meo, per misericordiam Domini, tui summi Domini, per memoriam Dei Abraham alloquentis de quinque urbibus maledictis, dicentisque si decem in una fuissent justi, huic pepercisset ;

1. Gers., op., t. IV, p. 658. Gallice in mss atque in editione Du Pin. Nos in latinum sermonem transtulimus. Vide Appendicem C.

2. Gallice : « Par l'outrageuse entreprise d'aucunes gens de petit ou de nul estre. »

si reputabis, o Rex, non decem tantum, sed decem millia justorum esse in tua bona civitate Parisiensi, oro et obsecror parcere velis atque abolere omne scelus sine pœna, si vides esse sceleris pœnitentiam.

« Post hanc supplicationem quam habitam volumus, ne subeamus crimen ultionis aut crudelitatis, dicamus, ob veritatis causam, quod isti mediocris vel infimi ordinis homines occidere solebant aut plagis obruere aut in Sequanam conjicere aut rapere, sine ulla justitiæ forma... At, Dei gratia, omnis eorum audacia delusa est, potius miraculo quam per viam humanam. Itaque, o rex, nos qui victos profligatosque cernimus tuæ vitæ civilis adversarios, debemus tibi salutem dare, atque gaudentes dicere : *Rex in sempiternum vive.*

« Attamen interrogari poterit quare Deus talem servitutem fieri siverit... Certe, scio judicia Dei parum esse intelligibilia sed nunquam Deus malum evenire permitteret, nisi ex eo bonum quiddam exiret, ut ait Augustinus. Quapropter, si unquam Deus in hoc regno potentiam ac sapientiam ostendit, hoc temporis momento ostendit. Nam bonos ex malis statim divisit, voluitque corpus tuæ filiæ Universitatis, corpus tui Parliamenti, corpus tuæ bonæ urbis Parisiensis, tuorum que nobilium et clericorum, tibi tuæque regali potestati conjungi. Igitur, Deus talia nasci voluit ut cognosceres tuos bonos subjectos, atque eorum fidem ac probitatem, ad tuam vitam tibi conservandam. Domine, possum ego dicere, talia quippe sum expertus, quod ex tua filia Universitate, plusquam centum magistri in vitæ periculum incurrebant, neque ipsi tantum, sed una cum illis eorum patres, matres ac propinqui; qui suam vitam et parentum libenter offerebant pro tua vita regali et civili, ita ut tibi hanc salutem darent, *rex in sempiternum vive.*

« Verum enim vero, cur Deus tot malefacta permisit? Ut experiamur omnes quid intersit inter dominationem regis atque plebis. Nam dominatio regum æquitate uti solet ac misericordia; *cor autem plebeium ac villanum semper dominatur aspere ac cruenter*[1]. Itaque recte suadebat Aristoteles Alexandro quum monebat : *Nec quos natura jacere præcipit exalta.*

1. Gallice : « Cueur civil et vilain a toujours domination tyrannique et crueuse. »

Ama igitur, o rex, et sustine omnes bonos subjectos, equites nunc, clericos et cives, neque eos obrue gravioribus oneribus ut talliis atque ejusmodi impositionibus, ita ut ex imo corde tibi salutent et dicant : *Rex in sempiternum vive.* Abeant contra et facessant omnes armigeri. Quod Anglorum est, cum illis de pactione agatur. Jube præterea nullum, cujuscunque sit ordinis, cum hoste fœdus facere, sine venia tua. Et vos, nostri metuendissimi ac nobilissimi principes, de regio sanguine orti, pariter supplicamus, nam quidquam coronæ habetis [1]. Nolite civiles discordias fovere aut continuare, et cogitate hunc Virgilii versum :

Neu patriæ validas in viscera vertite vires. »

Hic incipit *principale*, ut vocat Gersonius in quo sunt quæ propius ad reipublicæ regimen spectant. Sic enim disserit orator :

« Quod tuum est, o rex, curam habeas necesse est in futurum quomodo regnum bene geratur, id que posteritatis causa. Nam ea ratio est hujus præcepti, *regnum melius gubernari ac diutius subsistere successione quam electione.* Præterea, nil aptius decet principem quam publicæ utilitati incumbere. Legimus enim Scipionem præter omnia de rebus patriæ curavisse. Ideo S. Hieronymus, in commentariis de hac historia, scribit Deum arcana sua huic pagano aperuisse, propter boni publici suam sollicitudinem. Quæ arcana eo plus bonis principibus aperire solet Deus. *Nam divina Providentia illos principes dirigit.*

« Etiamsi de paganis ita dicatur, tamen id regibus proprium est ac peculiare, ut theologi arbitrantur; scilicet reges ac principes quum sub custodibus ceteris, tum quoque sub angelorum tutela regnare. Et quam ob causam? ut vita civilis regum stare possit ac felix permanere, sicut nos optamus tibi, qui dicimus : *Rex in sempiternum vive.* »

Qui locus, ut nobis videtur, maxime notandus est. Etenim, si Gersonio credas, tot discordiæ eo tantum evaserunt ut

1. Gallice : « Car vous êtes ceux qui êtes la couronne. »

regia potestas cognosci posset, atque impiorum hominum audaciam effugeret. Unde rex potestatem ducit? Non ex Deo, ut posterius creditum est. Rex tamen a Deo ipso regitur, ac paulum abest quin multum ante Ludovicum XIV, Gersonius verba summi regis præoccupet, de regibus ac de regio intellectu[1].

Hæc de rege; quid de natione censet orator? Qui sunt trium ordinum, nobilium scilicet, clericorum et civium gradus? Ad sequentes orationis partes transeamus.

Gersonius enim fabulam Nabuchodonossoris usurpat, qua narratur huic regi in somno visam esse statuam, cujus caput ex auro esset, brachia ex argento, crura ex ære, pedes tantum ex luto.

« Dicamus te o Rex, tuumque regnum, posse hac statua atque imagine figurari. Nempe tu es aureum caput, atque infra te sunt tres ordines, nobilium, clericorum et civium, qui cum reliquis statuæ partibus comparentur. Nobiles enim possunt brachiis comparari, quæ sunt ex argento, propter vigorem atque strenuitatem. Clerici stomacho et ventri, ex ære factis, quod optime sonat. Similiter clerici debent emittere clangorem atque sonum veritatis. Venter, ut videtur, non laborat; sed reliqua membra nutrit, ut refert fabula, quam omitto. Denique cives, et boni mercatores et aratores redduntur cruribus ac pedibus qui sunt ex luto, *propter laborem et humilitatem, quoniam parere debent.* »

Post quædam alia, quæ sunt ex mysticis similitudinibus ducta, orator quatuor considerationes attingit de regali auctoritate bene exercenda.

Quod ad primam attinet, auctoritas regalis non patitur ut sint plures in regno factiones. Quod ad secundam, non debent esse plures curiæ quæ justitiæ administrandæ adhibeantur. Quod ad tertiam, auctoritas regis debet esse concilio et armis fortior quam cujuscunque subjecti.

« Quapropter regi comparandi sunt homines qui, quum in

1. Gerson : « Dieu les révèle aux bons princes plus qu'à autres. Et pourquoi? Pour ce que la divine providence les gouverne en spécial. » Cf. *Suprà*. — Louis XIV : « Il faut s'en rapporter aux lumières que Dieu a mises dans tous les hommes, et surtout dans les rois. » (*Mémoires*.)

consilio tum in armis, tum in omnibus officiis regi solum pareant. Quod utinam provisum fuisset ! Itaque adhibeantur illi, ut orant tua filia Universitas, atque boni tui cives, qui privatæ suæ utilitati aut parentum non inserviant : qui regem potius quam principem sequantur : qui ex electione oriantur, non ex favore. »

Quod ad quartam attinet, auctoritas regalis debet esse adeo potens ut nemo audeat contra illam bella aut factiones movere.

Satisne erit auctoritatem regalem sic firmiter constitui? Necesse est amplius violari non possit. Itaque Gersonius contra doctrinam Johannis Parvi invehitur.

« Publicatum est, inquit, principium bonæ administrationi contrarium, atque omnem regalem auctoritatem destruens : ex quo turbata est respublica. Fabulam usurpemus Acteonis qui canibus suis laceratus est : pariter, regem atque nobiles populus lacerare voluit. » Tunc præcipuam Johannis Parvi refert assertionem : *Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per qualemcunque vassalum suum vel subditum; etiam per insidias et blanditias vel adulationes; non obstante quocunque juramento seu confederatione factis cum eo, non exspectata sententia vel mandato judicio cujuscunque* »; atque alias hujusmodi quibus exempla Scripturæ aut veterum opponit. Quantum auctoritati regali officiant ostendit.

Denique, postquam officia regis erga populum commemoravit, trium ordinum erga regem officia docet. Quæ sint civium inquiramus :

« Expedit magis populum obedire quam si vellet dominari, sic enim docet Aristoteles, exemplo sensuum atque animæ in corpore humano. Decet animam dominari, sensus parere. Expedit cives comprimi atque ita regi ut rectam viam, nempe regalem, semper sequantur[1]. Hoc est, decet

1. Gallice : « C'est expédient que l'état de bourgeoisie soit maintenu et induit tellement qu'il suive toujours le droit chemin, le chemin royal. Cette considération veut dire que le peuple soit content de son état et qu'il se souffre mener par le chief et par les deux états souverains..... Ou autrement l'ordre du corps mystique de la chose publique serait tout subverti. Nous l'avons naguères expérimenté plus que métier.... *que gens qui à peine devaient appartenir aux pieds*, se avançaient de gouverner le chief, que dis-je ? gouverner, mais confondre et tyranniser. »

populum esse sua sorte contentum, atque regi parere et clericis nobilibusque; aut aliter, ordo corporis mystici atque reipublicæ tolleretur funditus. Nuper enim experti sumus; nam homines qui vix cum pedibus comparandi sunt, caput regere conabantur atque etiam opprimere ac detrudere. »

Conclusit denique orator precibus quibus invocabat et obsecrabat Deum patrem, sanctam Virginem, S. Josephum, S. Genovefam, SS. Dionysium ac Remigium, Franciæ patronos, ut regis regiæque gentis saluti providerent.

Ea fuit oratio qua nulla alia amplior de regali imperio, de subjectorum officiis, de regimine reipublicæ Gersonii traditur; ex qua, aptius quam ex Pavilliaci sermonibus, ut supra dicebatur duci possit « tractatus valde magnus. » Idcirco, de politica Gersonii doctrina disputare, nil habet in se temerarium aut absonum. Plerique enim Gersonium, ex fama, pro doctore mystico et pro theologo tantum habent. Ex quibusdam orationibus, tanquam civilem quoque oratorem, cum jure accipere jam possunt.

CAPUT TERTIUM

Nunc tandem pergamus ad rem quæ extremos Gersonii annos exercuit, tamque immeritas ærumnas venerando capiti conflavit; scilicet ad controversiam propter pravam Johannis Parvi de cæde ducis Aurelianensis doctrinam. Quod ad civilem eloquentiam pertinet, ibi disserendi copiam reperire est. Etenim, dum pravitatem hujusce doctrinæ noster lacessebat, hanc vitæ regulam cui ipse adhærebat, hunc bene moratæ et constitutæ patriæ ordinem, in qua vivere optabat, tuebatur.

Quod fuerit tantæ contentionis exordium, haud supervacuum erit in memoriam referre.

Anno 1407, die 23 novembris, Ludovicus dux Aurelianensis per vim ac dolum interfectus est. Die 25, regium consilium convenit apud quod de hoc nefario scelere actum est; quo in finem vergente, dux Burgundiæ agnovit necem jussu suo

fuisse perpetratam. Die 26, alterum consilium indictum est, a quo Burgundus abstinere debuit. Tunc a Parisiis secessit et Flandriam aufugit, provincia defensionis Johanni Parvo commissa. Paulo post, contracto militum equitumque delectu, Lutetiam reversus est ubi, vel rege obsistente, a plebe faventer est acceptus.

Deinde, die octava martii 1408, in palatio S. Pauli, dum rex morbo laborabat, præside delphino, duce Guiennæ, præsentibus rege Siciliæ, ducibus Bituriæ, Britanniæ, Lotharingiæ, et multis comitibus, coram rectore Universitatis et compluribus doctoribus, densa populi circumstante corona, magister Joh. Parvi, theologica scientia pollens, longissimam illam orationem recitavit, quam apud Monstreletium legimus[1], quæque inscribitur *Justificatio ducis Burgundiæ super cæde ducis Aurelianensis*, ex qua inter tot ac tam varias assertiones e priscis aut e recentioribus libris sumptas, quædam a Gersonio posterius excerptæ sunt condemnandæ.

Justificatio in duas partes divisa est, quarum una argumenta oratoris ponit et firmat; altera, ad necem vertit et applicat. Sumpto hoc themate : *radix omnium malorum cupiditas*, tria esse cupiditatum genera theologus contendit ; unum quidem esse quod subjectos infidos faciat; unde crimen majestatis nascitur, quod nonnisi morte luitur. Quapropter, ducem Aurelianensem crimine majestatis reum fuisse demonstrat, aut, si melius placet, demonstrare conatur. In perorando, non modo ducem Burgundiæ ab omni peccato absolvit, sed etiam admiratur ac laudibus extollit.

Ad summam, haud aliud Johannes Parvi asserit quam quod Tullius in oratione *Pro Milone;* scilicet incidere tempora quibus occidere non modo legitimum fiat sed etiam necessarium.

Etiamsi Johannis Parvi argumenta multis intolerabilia, Gersonio odiosa viderentur[2], tamen dux Burgundiæ causam

1. Monstrelet, *Chronique*, ch. 39. — Cf. Lenfant, *Histoire du Concile de Pise* (Appendice). — Du Pin, Gers. Op., t. V.

2. Cf. Juvénal des Ursins : « Le jeudy, huitième jour de mars, il fit faire une proposition par un docteur devant nommé, maître Jean Petit, lequel s'efforça de justifier le cas advenu...., alléguant plusieurs cas de diverses espèces qu'on disait avoir été commis par le duc d'Orléans, pour lesquels il soutenait qu'on le devait tenir et réputer tyran. Et concluait qu'il était

obtinuit, atque a rege litteras *remissionis* accepit, quibus rex nullo modo se iratum profitebatur « propter fratrem ex hoc mundo sublatum. » Tum Flandriam rursus petiit, ad seditionem urbis Leodiæ comprimendam.

Interea, conjux ducis interempti, Valentina Visconti, Lutetiam venerat cum filiis, atque a rege petiverat, ut memoriam mariti contra mendacem justificationem defendere sibi liceret. Itaque, die 11 septembris, coram duce Guiennæ, multisque proceribus adstantibus, magister de Serisy, ordinis S. Benedicti, sancti Fiacrii abbas, Joh. Parvi argumenta primum refutavit; deinde, Guilelmus Cousinot, advocatus, pœnam pro nece solvendam demonstravit. Quibus auditis, rex litteras « remissionis » revocavit[1].

Sed dux Burgundiæ post cruentam Hasbaniensem pugnam, Leodicensibus profligatis, Parisios triumphans rediit, plebe incredibili gaudio exultante. Tunc effusus omnis Valentinæ labor, irrita regis jussa, simultatesque principum succensæ. Frustra enim, ex Carnutensi conventu (die 9 martii 1409) inter ducem Burgundiæ atque filios ducis Aurelianensis pax sperata est; bellum plus quam civile exarsit, quo Gallia infelix pæne attrita est; etiamsi in ecclesiis ubique hoc lamentabile canticum sæpe clamaretur : « Domine Jesu, parce populo tuo, nec des regnum Franciæ in perditionem, sed dirige in viam pacis principes[2]. »

Anno vero 1413, represso Cabochiorum tumultu, quum Arminiaci Lutetiam in manum receperunt, tunc Aurelianensem memoriam rursus vindicandam curaverunt.

licite à un chacun de le tuer ou faire tuer, vu que autrement, comme il disait, ne se pouvait faire. *Laquelle chose semblait bien étrange à aucunes gens, notables et clercs;* mais il n'y eut si hardi qui en eût osé parler au contraire.»

1. Juvénal : « Le mardy ensuivant, l'abbé de Serisy fit une proposition en la présence de Mgr le dauphin et des seigneurs dessus dits et prit son thème : *Justicia et judicium, præparatio sedis tuæ.* Lequel il déduisit bien grandement et notablement en détestant la mort de Mgr le duc d'Orléans, et montrant la grande énormité du cas..... Et après que ledit abbé eût proposé et esté ouï longuement, maître Guillaume Cousinot, un avocat en Parlement, commença à parler, et en effet prit conclusions les plus hautes et grandes qui se pouvaient faire en la matière. » — Cf. Froment, *Essai sur l'histoire de l'éloquence judiciaire avant le dix-septième siècle.* (Thèse, 1874.)

2. Religieux de Saint-Denis. L. XXX, C. IX.

Die 4 septembris Gersonius electus est ab Universitate ad causam agendam apud regem, eademque die, in oratione *Rex in sempiternum vive*, quasdam assertiones ut vidimus, Johannis Parvi attigit ac reprobavit. Quæ oratio, die 6 septembris, Universitati comprobata est. Die octobris septima, Carolus rex litteras episcopo Parisiensi mandavit quibus injungebat ut, adjuncto sibi Fidei inquisitore atque adhibitis in consilium theologiæ doctoribus, de erroribus Joh. Parvi defuncti inquireret[1].

Itaque, die 30 novembris, in palatio episcopi prædicti, *consilium fidei* habitum est, apud quod plures propositiones ex Justificatione a Gersonio excerptæ, atque ab Universitate exagitatæ, rursus ac solemniter repudiatæ sunt et condemnatæ. Sententia Gerardi, episcopi Parisiensis, atque inquisitoris fidei adversus Johannem Parvi, die 23 februarii, publicata est; die 25, libellus igni cremandus traditus est; denique, die 6 martii, litteræ regiæ doctrinam tyrannicidam omnibus detestandam atque abominandam denuntiaverunt.

Dux Burgundiæ contra condemnationem protestatus est, et causa ad curiam romanam delata est.

Gersonius tamen ab incepta opera non destitit. Nam die 4 decembris, in aula S. Pauli circa illud negotium atque cædem ducis Aurelianensis alteram recitavit aptissimam ac fortissimam orationem. Scilicet ostendit mala quæ ex talibus doctrinis decurre soleant, certamina principum, plebis rebelliones, omni modo turbatam rempublicam. In hunc modum concionatus est :

« Denique multa alia horrenda dogmatizata sunt et practicata sunt, occasione ista, tanquam licita, quæ occupant adhuc animos omnium fere popularium, et inde ad rebelliones et seditiones quasi irremediabiliter inclinantur et erroribus pleni sunt contra fidem et salutem, sicut in quibusdam opusculis notatum est Destructio quoque civitatum insignium, ut Suessionensis, per regnum. Similiter incarceratio facta est de hominibus, ducibus et de nobilibus ex utroque sexu, contra regis auctoritatem; dicentibus ipsis qui hæc imperabant

1. Joh. Parvi, obierat anno 1113.

fieri quod hæc erat actio popularis et debita unicuique, suo jure. »

Omnis oratio bella civilia attingit. Postea orator commemoravit quid regi jam suasisset :

« Subinde memineritis, serenissíme rex, quemadmodum in hoc eodem loco, dum proponerem alias coram majestate vestra, suadebam quatenus providebat eadem majestas de bono consilio, ne dissiparetur regnum, aut mutaretur dominum, quod nunquam nos videre contingat. Conati sunt aliqui tum indignationem vestram quæ dicente sapiente *mors est*, adversus me suscitare; sed veritas super omnia vincens et filia vestra Universitas mecum obstiterunt. Nihilominus post, illa tempora quæ contigerunt nos incertissime vidimus; talia quippe fuerunt, quibus nisi Deus et nihilominus de sanguine vestro aliorumque vestræ dominationis fidelium sedulitas providisset, vix hodie una, per totum regnum, civitas in obedientia debita perstitisset[1]. »

Hæc Parisiis, apud regem, feliciter gesta sunt. Eadem vero Constantiæ, apud concilium generale, diversa fortuna atque contraria se gesserunt.

Carolus rex legatos Constantiam miserat qui causam contra Johannem Parvi dicerent. Dux autem Burgundiæ litteras concilio scripsit quibus sibi excusationem aut justificationem prætenderet; quas ejus fautores, Martinus Porrœus, episcopus Atrebatensis atque Petrus Cauchon, doctor in theologia, legendas tuendasque curaverunt. (Die 26 mensis maii 1415.)

At die 7 junii, a legatis Caroli regis, id est a Johanne Gersonio, Jordano Morini, Guilelmo Pulchrinepotis ac Petro de Versaillis, delatio facta est ad Concilium novem assertionum Johannis Parvi quæ sequuntur :

Prima assertio.

Licitum unicuique subdito, absque quocunque mandato vel præcepto, secundum legem naturalem, moralem et divinam, occidere vel occidi facere quemlibet tyrannum qui, per cupi-

1. Gers. Op., t. V, col. 333.

ditatem, fraudem, sortilegium vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem regis sui et supremi Domini, pro auferendo sibi suam nobilissimam et altissimam dominationem; et nedum licitum sed honorabile et meritorium; et maxime quando est tantæ potentiæ quod justitia non potest fieri per supremum.

Secunda assertio.

Leges naturalis, moralis et divina autorisant unumquemque subditum de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum.

Tertia assertio.

Licitum est unicuique subdito, honorabile et meritorium occidere, vel occidi facere supra nominatum tyrannum, proditorem et infidelem suo regi et supremo domino, per dolos et insidias; et est licitum dissimulare et silere voluntatem suam de sic faciendo.

Quarta assertio.

Jus est ratio et æquitas quod omnis tyrannus occidatur viliter, per dolos et insidias et est propria mors qua debent mori tyranni infideles; occidere scilicet eos viliter, per bonas cautelas dolos et insidias.

Quinta assertio.

Ille qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum modis prædictis non debet de aliquo reprehendi et rex non debet solum esse contentus, sed debet habere factum acceptabile et autorizare quantum opus vel necessitas est.

Sexta assertio.

Rex debet præmiare et remunerare illum qui occidit modo qui dictus est vel occidi facit tyrannum supra dictum, in tribus rebus : scilicet in opibus, honoribus et divitiis; exemplo remu-

nerationum factarum sancto Michaeli Archangelo, pro expulsione Luciferi a regno Paradisi et nobili homini Phinee pro occisione ducis Zambri.

Septima assertio.

Rex debet amare plus quam prius illum qui occidit vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis supra dictis et debet facere prædicare suam fidem et bonam fidelitatem per suum regnum et extra regnum facere publicari per litteras in modum epistolæ vel aliter.

Octava assertio.

Littera occidit, spiritus autem vivificat : hoc est dicere quod semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura est occidere animam suam.

Nona assertio.

In casu socialitatis, juramenti, promissionis seu confœderationis factarum ab uno milite ad alterum, quocunque modo istud fiat aut fieri possit; si contingat quod istud versatur in præjudicium unius promittentium aut confœderatorum, sponsæ suæ vel suorum liberorum, ipse de nullo tenetur eas observare; hoc probatur ex ordine caritatis quo quilibet tenetur plus diligere se ipsum, uxorem et liberos quam alterum [1].

Post deliberationem quatuor nationum, annuente Sigismundo imperatore, judices delecti sunt qui de hac re cognoscerent. Omnis quæstio tunc erat utrum sententia episcopi Parisiensis confirmaretur, an non, ut disputabat episcopus Atrebatensis, qui die 15 junii, de hac sententia rescindenda proposuit.

Patres Constansienses erroribus Johannis Hus examinandis intenti, Johannis Parvi negotium postposuerunt; attamen,

1. Gers. Op., t. V, p. 353.

eadem die qua Hus condemnatus est, præcipua quoque Joh. Parvi assertio reprobata est (die 6 julii 1415).

« Præcipua sollicitudine volens hæc sancrosancta synodus ad exstirpationem errorum et hæresium in diversis mundi partibus invalescentium providere, sicut tenetur et ad hoc collecta est; nuper accepit quod nonnullæ assertiones erroneæ in fide et bonis moribus ac multipliciter scandalosæ totiusque reipublicæ statum et ordinem subvertere molientes dogmatizatæ sunt; inter quas hæc assertio delata est : *Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per qualemcunque vassalum suum vel subditum*, etc. (cf. supra).

« Adversus hunc errorem satagens hæc sancta synodus insurgere et ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione matura, declarat, decernit et definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide et in moribus, ipsamque tanquam hæreticam, scandalosam et ad fraudes deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem reprobat et condemnat. Declarat insuper decernit et definit quod pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sunt hæretici et tanquam tales juxta canonicas sanctiones puniendi[1]... »

Quum tardo pede negotium Joh. Parvi incederet, Gersonius urgere ut citius de hoc quæreretur (die 20 augusti). Contra, fautores ducis Burgundiæ Gersonium insimulare perinde ac pacis perturbatorem, atque etiam, quo melius opprimerent, in crimen pravæ doctrinæ ipsum detrudere. Nempe episcopus Atrebatensis ad commissarios fidei viginti et quinque assertiones detulit, ex operibus Gersonii exscriptas, quas erroneas et factiosas atque reprobandas arbitrabatur. (Die 20 octobris).

Quibus haud deterritus noster nequaquam ab officio abstinuit. Cum ineunte anno 1416, rursus negotium in deliberationem venit, favente rege Carolo, favente ipsa Universitate Parisiensi quæ litteras Patribus Constansiensibus conscripsit quibus de condemnatione Parvi confirmanda atque de ordinibus mendicantibus vituperandis agebatur. Etenim, ordines mendicantes, sibi jam pridem adversarios, Universitas suspicabatur

1. Labbe. Sacrorum concil. Collectio. T. XXVII, p. 765. (Concilium Constansiense ; XV^a Sessio).

pravæ doctrinæ propagandæ devotissimos. Hæc et alia hujus modi scribebat :

« ...Loquimur de damnabili et apud nos optimo jure condemnata propositione defuncti olim Joh. Parvi cum assertionibus mortiferis suis, quæ dum apud cœtum vestrum celeberrimum et sanctissimum funditus exstirpari quæsitæ sunt, inventi sunt nonnulli *præsertim de mendicantium ordinibus*, a veritate deviantes neque attendentes quæ recta sunt, undecumque fuerit, non bene moti qui deliberationes suas in abscondito et sæculo tradiderunt primo ; dehinc improbitate quorumdam priusquam subirent examen debitum, quaqua versum per christianissimum Franciæ regnum, velut authenticæ respersæ sunt, accumulantes pejores errores prioribus. Contra quorum deliberationem scripsit Theologiæ facultas et nos scripta laudantes insequimur.

« Qua in re, si non matura celeritate provisum exstiterit, radicabitur et repullulabit in dies malum tam seditiosæ et notorie scandalosæ hæreticalisque doctrinæ multiplicis, nedum in grandem perditionem et contagionem animarum simul et corporum, sed in maculam culpandæ dissimulationis inelui-bilem, quod avertat Deus, sacratissimi cœtus vestri ; ad quem idcirco querelam hanc mœstissimam deferimus, ut tota sollicitudine et vigilantia remedium curet apponere... Quod Regem decebat, id peregit, cum suprema ejus regis et sui Parliamenti curia et suum salubre consilium, eamdem damnarint et per regnum decreverint prohibendam.

« Nos autem, inquisitione facta, eam iterum damnandam comperimus... Sola restat vestræ sacræ congregationis prolatio. Agite igitur ut cum Fide Justitia, cum pietate veritas elucescat ; nec sic impune sacra scriptura mundano favore polluatur et invidia odiisque terrenis lacessita succumbat, etc...

« Scriptum Parisiis, in congregatione nostra generali, apud sanctum Mathurinum solenniter celebrata, die sexta mensis februarii. Vestri humiles rector et Universitas studii Parisiensis[1]. »

Deinde, die 5 maii sequentis, Gersonius grandem habuit

1. Gers. Op., t. V, p. 507.

concionem in qua quum Joh. Parvi doctrinam, tum contra semetipsum conflatas inimicitias impugnabat. Tales erant loci hujus tanquam *pro domo* orationis, quæ inter optimas Gersonii eminet[1].

« ... Porro licet habeat parvitas mea hoc loco, Patres celeberrimi, grandem et multam adversus calumniantes me respondendi materiam, nihilominus pudet me et pudere debet, qui sum cinis et pulvis, si non exemplo christianissimi regis ut præfertur, si non ad publicam hujus sacri concilii jussionem, quanquam velut e cœlo sonantem libens accipio ; si non, inquam, nunc agam dissimulanter circa proprias injurias quatenus illa Dei ac Fidei morosius et eo efficacius qui patientius possim persequi. Decrevi præterea non insistere circa relationem eorum quæ sunt in facto, de quibus constare poterit et potest quis vera vel falsa dixerit in prospectu tam sacri concilii. Nam conari omnia falsa refellere et mordentes remordere contentio potius canina est, muliebris, procax et indigna quam gravitas christiana. »

Attamen refutavit calumnias contra se factas ; dein, in perorationis modum, tot tamque iniquas in Aurelianensem gentem congestas ærumnas commemoravit :

« Dux olim Aurelianensis, mansuetissimus ac benignus, elegantis formæ, perspicacissimæ sagacitatis, eloquentiæ singularis et pene incomparabilis ; quid, inquam, nunc ipse, imo quid sanguis suus clamet ad hoc sacrum concilium, misericordi pietate pensate ; compentientes estote ex innata teneritudine miserationis cordialis, revolventes vobiscum intra misericordiæ viscera, quo clamore, quo gemitu, quo plangore quærat modo justitiam? Non equidem, sicut æstimo, tantumdem pro ipsa morte naturæ, quia scit quod mortuus est quandoque moriturus, quantum pro tali mortis modo conqueritur, quantum præterea pro crudelissimæ necis suæ justificatione, quæ est infamiæ mors altera, mors continua, mors indigna, neque minus fugabilis quam sit ipsa mors naturæ.

1. Gers. Op., t. II, p. 318 et suiv.. — Propositio facta coram concilio generali Constansiensi ex parte regis Franciæ, responsiva ad quamdam propositionem ex parte domini Burgundiæ per episcopum Atrebatensem.

« Hæc si quidem infamiæ mors civilis, nedum viventes interimit ; sed desævit in mortuos ; non unum vel duos interficit, sed posteritatem totam, totum genus et affines duro lacerat ignominiæ telo ; vos tres præcipue filios illustres ac ingenuos superstites, quorum unus obses, alter captivus tenetur in Anglia, non ut proditores quidem sed ut vestri regis ac regni fidelissimi defensores. O si datum esset his liberis, pupillis, orphanis et captivis adstare coram reverendissimo ac celeberrimo cœtu præsenti ; si fas alloqui plus planctibus, plus suspiriis, plus singultibus lacrymis et gemitibus quam ore vel vocibus clamarent !

« Date patri, date nobis lætitiam. O si procumbentes eos et advolutos vestris sanctis pedibus cernerent hi misericordes oculi vestri, concipite quibus jaculis intimæ compassionis vulnerarentur piissima corda vestra ; quia neque verbis extra proferre, neque intra me pro rei magnitudine comprehendere sufficio quod cupio. Perficite quod nequeo... »

Denique, suo proprio nomine episcopum Atrebatensem ac Patres Constansienses allocutus est :

« Et ego nunc in spiritu lenitatis, in spiritu sacri Concilii præsentis (qui est spiritus pacis et concordiæ, spiritus charitatis) converto vocem meam ad vos, reverende pater ac domine, domine Atrebatensis, cum quo olim vixi familiariter et benigne ; ad vos similiter, magister Petre, vice domini Remensis, compatriota charissime, quos ego diligo in veritate, dilexi et diligam, Domino propitio... ; interrogo vos aliqua : respondete, precor ; imo, tacentibus vobis, respondebo ipse pro vobis...

« Tandem ego ipse revertor ad vos, patres orthodoxi, supplicans, petens et obtestans per desiderium illud quod habent reverendissimæ ac Deo amabiles Paternitates vestræ ad salutem animarum, ad exstirpationem errorum et correctionem errantium... Tollatur per judicialem hujus sacrosancti consilii sententiam libellus iste famosissimus, mortifer et hæreticalis, et eradatur memoria ejus a populo christiano...

« Hoc in recessu suo quæsivit serenissimus rex Romanorum ; superest scedula patens cui sigillum suum impressum est ; et quid Parisiis egerit, famæ vox insonat. Hoc ipsum petit, hoc suadet, hoc obtestatur christianissimus rex Franco-

rum ; hoc præclarissima Parisiensis Universitas, et alii quam plurimi ; hoc nos postremo humiles sui ambassadores supplicibus votis exoramus, quatenus in hoc adjutores sitis, dando regi judicium et justitiam filio regis, sequendo vestigia Christi qui ad hoc venit in mundum ut oves errantes ad se reduceret, etc. Ad hoc quippe tendit oratio proposita vice thematis : *Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.* »

Etiamsi vehementer contra Johannem Parvi, eloquenter pro sese ipso Gersonius dixisset, tamen tantus labor in irritum cessit. Nam post longissimam disputationem, hæc fuit sententia Patrum « visum eis judicium Parisiensis episcopi et inquisitoris fidei irritum, quia ad ipsos non pertinebat de negotio fidei judicare. » (Die 26 junii 1416). Quod ægerrime tulit noster qui potentium virorum iracundiam adeo moverat ut a rege Franciæ salvum conductum accipere debuerit ne personæ aut bonorum damnum pateretur. Frustra, anno 1417 (die 17 januarii) in sermone cui thema erat : *Nuptiæ factæ sunt*, rursus Johannem Parvi insectatus est, cujus doctrina sine condemnatione evasit.

Itaque, anno 1418, concilio ad exitum vergente, Constantia abire statuit. Hoc autem tempore, Burgundionibus Lutetiam dominantibus, Parisios reverti noluit, atque Bavariam primum petiit, ubi ab Alberto, duce Austriæ, in gratissimum hospitium acceptus est. Dein Vindobonam urbem incoluit, atque apud Vindobonensem Universitatem lector exstitit, quod quidem his versibus narravit :

« . . . .
Awstria tu felix, felix studiosa Vienna,
Dux quibus est talis traditus in regimen,
Zelo qui fidei fervens ob eam fugitivum
Huic miserans offert ultro refrigerium,
Assignatque locum cum libertate, suique
Patribus egregii commada collegii [1].
. . . . »

De Gersonio poeta dicere, quoniam iterum Gersonianis versibus occurrimus[2], aliquid habebit novi, nec non opera aut

1. Gers. Op.. t. V.
2. Cf. *Supra.* Carmen lugubre pro Desolatione Universitatis.

studio digni. Ille enim doctor qui theologiæ mysticæ incubuit, atque in orationibus sacris una civilibusque versatus est, in illecebras carminum prolapsus est, et carmina, non pauca quidem, nec profecto trita legentibus, composuit.

Quædam ad politicas res spectare videntur, ut *Carmen optativum, ut gallica lilia crescant*, cujus has strophas libenter audias :

. . . .
Quisquis es, Francus fidei probatæ
Hoste sublato, Domine volente
Voce præcelsa, reboato dicens :
Lilia crescant.

Lilii flores Dionysius olim
Franciæ fertur domui dedisse
Cujus obtentu precibusque dignis
Lilia crescant.

. . . .
Jure qui Francos regis et coronam
Corde devoto reverere Christum
Te libens totum sibi da, jubebit
Lilia crescant.
. . . . » (T. III, c. 1439.)

Quæ licet canticum pium imitentur, Franciæ tamen regisque amore adeo perfunduntur, ut valde placeant, atque ante versus populares Eustacii Deschamps de misero patriæ statu, aliquid eximii præ se ferant, quod Gersonium civili laude merito decoret.

Quædam ad pietatem omnino pertinent, ut profusum illud carmen *Super Magnificat* (IV, col. 513). Quædam vero altiori spiritu efferuntur atque heroico carmini æmulantur, ut poema illud, versibus hexametris conditum, quod inscribitur *Josephina*, scilicet in honorem divi Josephi quem noster peculiari cultu prosecutus est[1].

1. Cujus poematis, quod videtur ex imitatione Hrosvithæ expressum, fabula hoc titulo continetur : « Titulus brevis continens XII libros, juxta XII materias principales.

Clare Joseph, Josephina tuo pro nomine Carmen
Narrat ut is Memphim, septem illic conficis annis
Nazareth inde redis operans, ubi Virginis olim
Conceptum noras et ea cum Virgine nubis
Itque redit nupta, te per montana volente
Das latriam infanti nato, nomen Jesus addis
Suscipis hinc reges, puerum post sedulus offers
Invenis hinc templo tandem moriens requiescis.
(Gers., Op. IV, col. 763.)

Attamen, ex Gersionanis carminibus, illud maxime proferendum videtur quod non heroico impetu invehitur, sed contra bucolico passu grassatur, quo noster, tanquam pastorali avena, theologiam celebrat. Quod inscribitur *Epithalamium mysticum theologi et theologiæ sub typo Jacob et Rachel.* (T. III, col. 683), atque sic se habet, alternis strophis.

« Rachel loquitur :

Oro per cervos capreas que campi
Oro sacratos per amoris ignes
Per fidem sanctam decus et honorem
Jacob amas te ?

— Jacob respondet :

Per greges nostras ovium, per agnos
Perque formosum viridens salictum
Et per illimes nitidosque fontes
Rachel, amo te.

. . . .

Si tonet cœlum crepitu fragoso
Totus et casum minitetur orbis
Inter hæc tanta positus pericula
Rachel, amo te.

Nil ab amplexu placido revellet,
Quidquid occuret nihil hinc timebo,
Nullius vincar sub amore, quippe
Rachel amo te.

Osculeris me labiis pudicis
Brachiis sacris mea colla stringe
Istud ut fiat sibi semper hærens
Rachel, amo te.

. . . .

— Rachel concludit :

Vere qualem dat Philomela cantum
Et velut sursum volitans alauda
Tale, mi Jacob, resonas amœnum
Carmen, amo te. »

Mirum quidem atque admodum inexspectatum opusculum, quo gravissimus auctor vocabula usurpat quæ magis amato-

rium poetam quam mysticum doctorem decent, quo castissimus theologus non tam Virginianis quam Tibullianis versiculis oblectatur. Mirum eo magis quod Gersoniani versus, alibi plerumque duriores, in Epithalamio elegans quiddam habent et tenerum et festivitate agresti profluens.

Absit vero ut de nostro leviter existimes, quo nemo nunquam fuit moribus honestior, quippe qui multis operum locis de virginitate, de castitate disseruerit, atque vix aliquot dies ante mortem ipse de sua Musa novissimis versibus ita judicaverit :

« . . . .
Non nequam, petulans subdola fractaque
Vox, sed suave sonat, cui rigidus tonus
Vivax ex oculis cœlica lux micat
Sancta prole beatior.

. . . .
Carmen tale cano, sit procul ethnica
Mendax musa strepat his quibus est Venus
Aut Mars deliciæ, vanaque numina,
Noster solus amor Jesus [1]. »

Post peregrinationem apud Germanos, morte allata ducis Burgundiæ, anno 1419, Gersonius Helvetiam transiit atque Lugdunum appulit.

Hic, apud fratrem, Cœlestinorum abbatem, « advena » noster et « peregrinus » ut ipse de se dictitabat, tandem quievit. In hoc Lugdunensi perfugio, inter quædam opera, quorum in numero Tractatus ille *De Parvulis ad Christum trahendis* maxime laudandus est (Op. III, col. 277), duo opuscula traduntur a Gersonio profecta, ad res politicas quodammodo spectantia, quorum unum est *Dialogus inter Francum et Anglum*, contendentes de querelis Franciæ et Angliæ [2] ; alterum opus quoddam *De mirabili victoria cujusdam puellæ*

1. Carminum honesta defensio. Op., t. IV, col. 540.

2. Gers. Op., t. VI, pp. 844 et 849. — Dialogus maximi pretii esse videtur quum de longissimo bello agatur, quo ipsius Gersonii tempore, Gallia pæne attrita est, talesque in hoc loci reperiantur :

« Francus. — Bellum iniquum est quia fundatum est in libidine dominandi et in voluptate ditandi tyrannica contra Christianos.

— Anglus. — Ergo, principi non obediam ? Nonne scribitur, qui non obedierit principi morte moriatur ? Nonne cum inobedientia ero infamis,

receptæ in ducem belli contra Anglos, theologia præcipue confertum ; quorum neutrum Gersonio tribuendum esse crediderim, quoniam alteri, in codice, Gersonii nomen non inscribatur, alteri scribendo vel tempus defuisse videatur. Nam vix Aurelianensis victoriæ fama percrebuerat, quum noster Lugduni mortuus est, die 12 mensis julii anno 1429, ætatis suæ sexto et sexagesimo, atque in ecclesia S. Pauli sepultus est[1].

Interea, Parisiensis Universitas, publicis rebus misceri non desierat. Nempe, anno 1417, legatos ad Delphinum miserat, una cum civitate Parisiensi atque curia Parliamenti, qui de miserando regni statu dolerent atque inquirerent. Anno vero 1418, adversam fortunam experta est. Nam Burgundionibus victoribus, nonmodo Johannes Brevis Coxæ in locum Gersonii utpote cancellarius successit, sed etiam nonnulli doctores atque magistri a sede remoti fuerunt, atque in carcerem dejecti vel ad exilium coacti. Præterea condemnatio contra Joh. Parvi publicata, solemniter revocata est. Denique anno 1420, ubi Trecis pactum est, Anglica dominatio reliquam Universitatis libertatem constrinxit.

« Hinc, ut scribit Bullæus, Universitas agnovit se patre orbatam, a pastore destitutam, et lupis permissam. Neque enim ab Anglo ad concilia publica, ut prius, admittitur, sed studiorum duntaxat et scolarum curam habere jubetur, nisi quando ille rebus suis expedire putat ; anglicani magistri incipiunt velle dominari et præfecturas collegiorum occupare[2] »

vecors, pusillanimis, desertor militiæ reputatus, imo de proditione suspectus et reipublicæ inimicus ?

— Fr. — In justis obediendum, non in injustis.

— A. — Puto justum omne quod Princeps consultus cum Pontificibus suis et satrapis præcepit..... »

In *Additione* facta post biennium, Dialogus iteratur cum majori historiarum copia. Nempe tunc agitur de originibus belli, de seditionibus Flandriæ, de Anglica ambitione, de qua sic Francus arbitratur :

« Francus. — Salva pace, non est verum ; nil citra mare habetis nisi per tyranniam, et mare est et debet esse terminus vester. »

1. Cf. Richer, *Apologia* : Gersonius in tumulo gloriosus.

2. Du Boulay, *Hist. univ. Par.*, t. V, anno 1420. — Cf. Étienne Pasquier : « .... Et, ajoute Alain Chartier, ladite Université avait grande puissance pour ce temps-là, tellement que quand ils mettaient la main à

CONCLUSIO

Attamen, autequam tanto de culmine laberetur, triginta prope annos Universitati Parisiensi licuit ad forensem tumultum accedere, gerendæque reipublicæ manum admovere. Theologi, doctores ac magistri, visi sunt rebus publicis incumbere atque apud plebem ut duces, apud regem ut suasores, concionari.

Quibus de causis, tales partes Universitas usurpaverit, narravimus : quo animo sustinuerit, Gersonii exemplo ostendimus. Ortus enim ex humillimo loco, sed mox collegii Navarrensis alumnus, deinde doctor in theologia, postremo Universitatis cancellarius, optimusque Universitatis orator atque interpres, duplici, ut ita dicam, Gersonius eloquentia eminuit ; sacra scilicet, sermonibus popularibus dedita ; ac civili prope modum, quæ in quibusdam causis ad politiam pertinentibus versata est, seu de schismate Occidentis, seu de rebus regni, seu de prava Johannis Parvi doctrina, actum est.

Quid in sermonibus popularibus valuerit Gersonius ; quid sacræ eloquentiæ patriæque linguæ profuerit, id non nostrum fuit quærere jam ab alio auctore absolutum ac prope perfectum. Quid autem in civilibus causis ; quid, quum ad doctrinam politicam tum ad eloquentiam civilem, orationes ejus valuerint, id nobis in proposito fuit, atque in perorando explanandum est.

Quæ fuerit Gersonii de arte politica atque de regimine civili doctrina, præsertim ex orationibus anno 1405, atque

une besogne, fallait qu'ils en vinssent à bout, *et se voulaient mesler du gouvernement du roi et autres choses....*

Finalement, tous ces anciens troubles étant, avec le temps, assoupis et les Anglais chassés du roiaume par la vaillance des grands capitaines, tout ainsi que dedans ces discussions était née, ainsi avec leur mort s'éteignit cette grandeur plus oiseuse que profitable à cette Université de Paris, estant par ce moyen réduite en son premier ordre et se contenant dedans ses anciennes bornes. » (*Recherches sur la France*, L. III, ch. XXIX.)

anno 1413 habitis, excutere atque tanquam enucleare sumus conati.

Qua in indagatione primum id ex operibus nostri exire apparet, scilicet regem unum rebus consulere debere, qui cuncta sub imperium ac jus suum trahat. Ex quo non sequitur ut rex omnia agere possit ad libidinem. Audiamus enim ipsum Gersonium in sexta et in septima *Considerationum principibus et dominis utilissimarum* (1408), quibus terminos regiæ auctoritati imponit, quos ultra « non regnare sit, sed tyrannizare ; » quibus inter regem atque subditos pactum quoddam naturale vigere contendit ; quibus denique, obsistendi regibus, si in tyrannidem erumpant, jus subditis concedere videtur[1].

Secundum hæc precepta, necesse est rex imperio utatur ad pacem justitiamque ordinandas. Quocirca vocem adulatorum effugere debet. Quomodo autem facilius effugiet quam si ad ipsam subjectorum vocem aures accomodabit? Inde fit ut quam maxime regi expediat tres populi classes, cleros scilicet, nobiles ac plebem, sæpe congredi, etiamsi unicuique classium gradus certus servandus sit (ut docet oratio anno 1413 recitata) atque cleris consulere, nobilibus dimicare, plebi parere, fixum sit munus atque reservatum[2].

Ad quæ, si accedunt quæcunque noster *proposuit* aut

1. « Error est regem aut principem informare justo suo jure subjectis suis, et eorum bonis ad suam voluntatem uti posse. Nam, hoc pacto sine alia ratione agere, tyrannizare est, nec regnare.... — Error est dicere terrenum principem in nullo suis subditis dominio durante obligari. — Et si eos manifeste et cum obstinatione in injuria et de facto prosequatur princeps, tum regula hæc naturalis, *vim vi repellere licet*, habet locum. Etc. »

2. Quam doctrinam de tribus classibus ad comitia convocandis atque de ordine classium observando, apud Christinam de Pisan, Gersonio æqualem, communem invenies. Cf. *Le Livre des faits et mœurs du sage roi Charles V*, L. III, ch. VIII.— Cf. Libellum ejusdem qui inscribitur *De Pace*, L. III, ch. XI, XII, XV. Chapitre XII : « Cy parle du péril que c'est de donner à menu peuple plus autorité qu'il ne leur affiert. » Chapitre XV : « Cy dit la manière comment appartient à prince de tenir le menu peuple afin de le garder de présomption et de cause de rebeller. » Apud Thomassy. *Essai sur les écrits politiques de Christine de Pisan.* 1 vol., 1838.

Præterea, inter hos auctores, eximiam quamdam similitudinem miraberis. Ambo enim pariter de litteris sentiebant, quum uterque Romantium Rosæ, ut tunc dicebatur, exagitaverint. Ambo pariter de republica. Volve Christinæ litteras *Ad reginam*, anno 1405, scriptas ; *Lamentationem*,

scripsit de officiis principum, de pace publica necessaria, de justitia colenda, de comitiis generalibus habendis, etc., concludes ex Gersonianis orationibus excerpi posse unde tanquam *De Republica* doceri possit.

Id tamen adeo valebat ut Parisiensis Universitas rebus publicis incumbere jure posset? ut probaretur hæc Gersonii opinio : « *Universitas repræsentatne universum regnum? Imo mundum...* Ipsa est tanquam vigorosum seminarium totius publici corporis ex quo homines nascantur totius perfectionis. *Ideo debet Universitas pro tota Francia, pro omnibus statibus*, pro amicis omnibus rogare et dicere... » (Apud orationem *Vivat rex*. 1405) ; ut regnum Franciæ sub arbitrium ac tutelam theologorum ac doctorum in utroque jure caderet? Quis contendere audeat?

Cuilibet admiranti cur ejusmodi sententiis hujus ætatis orationes exundent, apparebit profecto non eam fuisse doctrinam quæ ab alicujus ingenio proficisceretur, sed ex communi quodam fonte hauriretur; nec quæ fuerit cuique peculiaris, sed Universitati propria. Erat umbratilis quædam ars politica, non forensis; ex longo usu tradita, non ex rebus arcessita ; scholæ potiusquam pugnæ accommodata, et tamquam ipsa docendi materia, ex Aristotele ac præsertim ex Aquinate sumpta, cujus operum locos, nec non consulto, protulimus.

Ea ergo erat doctrina quæ Universitati laudem atque auctoritatem præstaret; qua juvante, doctores præclare concionarentur et audientium aures detinerent; non ea vero quæ in administrandum regnum cum utilitate adhiberetur.

Itaque, hæc præcipua causa fuit, ut ceteras omittam, cur Gersonius noster, aliive Universitatis Parisiensis doctores, quantacunque fuit eorum scientia, ex Aristotele aut ex Aquinate ducta, rebus gerendis impares exstiterint; cur Universitas politicas illas partes paulisper tantum toleraverit; cur denique reges, non jam apud Universitatis magistros, sed apud Parliamenti judices atque optimarum urbium cives, adjutores sibi ac ministros quæsiverint.

anno 1410, éditam; denique libellum *De Pace*, anno 1413, conditum. Eam eodem patriæ, regis, pacis amore succensam deprehendes quo Gersonianæ orationes flagrant.

Hactenus de doctrina. Quod ad vernaculam linguam attinet, quid illi, quid eloquentiæ civili Gersonianæ orationes contulerint, nunc videre est.

De quibus difficilius judices quam de popularibus sermonibus. Nempe, præter unam (*Rex in sempiternum vive*), quam editor ille qui accuratissimam Gersonio operam impendit, gallice reddendam curavit, ceteræ orationes, licet gallice recitatæ fuerint, in latinum mature translatæ sunt, quo melius in doctorum hominum manus evagarentur. Itaque, nativi sermonis vim atque colorem sub alieno fuco vix deprehendas. Præterea, etiam in orationibus gallice habitis, latinis adhuc vocabulis et modis sermo constrictus incedit; denique, quod molestissime lector patitur, sermo theologia horridus est atque omino fartus.

Quamvis rudis et incomptus, et theologiæ vicinior quam politiæ, videatur is sermo quo Universitas atque Gersonius utebantur, nihilominus eloquentiæ civili tantum profuit quantum causidicorum lingua aut scriptorum aut aliorum qui in rebus publicis exercebantur. Etenim doctores atque magistri apud orationes aut propositiones sæpissime de legibus, de jure, de virtute, de regum civiumque officiis, de societate humana, disserebant; qui sermo latior quidem ac fusior quam ut rebus gerendis aptaretur, tamen copia rerum argumentorumque opportunissime valuit ad eam informandam augendamque eloquentiam quæ postea apud generales nationis gallicanæ conventus sonuit atque inclaruit.

Quod ad Gersonium peculiariter pertinet, eo majoris pretii noster putandus est, quod non modo doctrina atque eloquentia inter ceteros æquales eminuit, sed etiam, præter ceteros, vitam ad præcepta conformavit; neque in libris doctissime consenuit, sed in discordiis civilibus fortissime vixit, atque quamvis umbram dilexerit, tamen in luce haud inglorie versatus est.

Ad summam, ut ex orationibus ejus patet, Juvenalis Ursinorum, atque quorumdam aliorum æqualium instar, Gersonius fuit horum hominum qui rerum hunc statum optabant ubi sub tutela sapientis regis pace et justitia perfrui liceret, et timebant æque sub rege omnipotenti servitutem ac sub populo impotenti licentiam; meritoque jungendus est cum

tot excellentibus viris, ingenio vitaque spectatissimis, quibus patria Gallica semper crevit et floruit.

Sic optimum civem in christianissimo doctore habemus; sic quum de theologia scribere videmur, tum etiam de civili doctrina atque de populari eloquentia quærere Gersonii vita suppeditat.

FINIS

APPENDIX

A

« Quædam propositio et exhortatio facta in præsentia regis Karoli VI pro parte Universitatis ac præpositi et civium Parisiensium ut certe ordinationes tunc noviter jussæ servarentur. Per Joh. Brevis Coxæ, doctorem theologiæ et oratorem Universitatis. » (Du Boulay. V. p. 83-91. Gallice edita. 1403.)

« Très haut et très puissant Roy, mon très redouté et souverain seigneur, votre très humble fille, messeigneurs le recteur et maîtres de l'Université, les prévôts des marchands et les échevins de votre bonne ville de Paris, vos très humbles et loyaux sujets, m'ont chargé de vous exposer aucunes choses, lesquelles s'il vous plaît de votre bonne grâce et pour contemplation de ceux moy ouïr, je les dirai assez brièvement et le moins mal que je pourrai.....

« Je voudrais sur toutes choses se faire se pouvait, mon très redouté et souverain seigneur, que un chacun natif de votre royaume eût tel amour et telle attention à accroître et à garder le profit commun et la chose publique d'iceluy, comme il a à son privé et particulier profit, tous vivrions en paix et en amour et en grant et plantureuse abondance de tous biens temporels et autres que l'on peut et doit souhaiter en ce monde. Et certainement si un chacun pesait bien comment son profit particulier, son bien et son salut sont compris et contenus au profit commun et que, pareillement, le grand détriment et la grande lésion d'iceluy redonde et descend au dommage de un chacun, je ne cuide mie que aujourd'hui on trouvât tant de gens qui detrahissent du bien commun et public pour accroître et élever le particulier état comme l'on fait; car à peine trouverait-on aucun, si

aveugle n'était, qui n'aimât mieux un moyen état en sûreté qu'un bien grand en péril et en doute de chute et de ruine.....

« Cette seigneurie royale ne peut longuement durer ni permanoir, sinon par certaines lois, statuts ou ordonnances, qui tiennent les sujets en unité, en sûreté et en tranquillité, comme dit Tite-Live au livre I de la première Décade, que « Romulus appelle à conseil grant multitude de gens qui autrement, dit-il, ne se pouvaient joindre ni croître en un corps et en un peuple, leur donna lois et ordonnances selon lesquels ils devraient vivre... »

De ces ordonnances, il y en avait en France. — « Qui eut bien tenu les belles ordonnances que les bons roys de France vos prédécesseurs, et vous-même, mon très redouté et souverain seigneur, avez faites, ce royaume ne fût mie cheu en tel inconvénient et telle pauvreté qu'il est de présent. Voyez le plat pays comme il est rongé et pillé de gens d'armes qui les deussent garder de gens de justice, comme sergents, prévôts, baillis, promoteurs officiaux et plusieurs autres et tous par faute de justice. Les finances de votre royaume comment ont-elles été gouvernées jusqu'ici ?.....

« Considérez, sire, s'il vous plaît, l'état où nous étions naguère. Vos ennemis étaient forts en Guyenne; si ce débat et discord qu'on dit être en Angleterre ne fût survenu et qu'ils fussent passés à Calais en puissance, où eût-on pris de l'argent à mettre gens d'armes sus qui leur pussent résister? Au plat pays rien n'a demeuré. Que prendront les gens d'armes sur leurs hommes qui n'ont rien? Que payera-t-il au bourgeois qui n'a pain à manger pour soy et ses enfants? Ainsi détruit le plat pays, s'ensuit la pauvreté de tous les etats du royaume. Si votre peuple est pauvre, de quoi vous aidera-t-il? Puis donc que nous voyons la merci Dieu que nous sommes hors de ce péril et que par ces ordonnances est suffisamment pourvu à tels et semblables cas, s'ils survenaient, faites-les soigneusement observer et garder et n'épargnez personne qui s'efforce de venir à l'encontre..... Etc., etc. »

B

Lettre de Charles VI à l'Université de Paris (1411).

« Charles, par la grâce de Dieu, roi de France, à notre très chère et amée fille l'Université de Paris, salut et dilection.

« Pour ce qu'il est venu pleinement et clairement à notre connaissance, et nous tenons pour dûment et suffisamment informés

tant par certaines lettres qui ont été naguère publiées et apportées en nos mains et de notre Conseil comme par les fais et œuvres que nous avons vu ça en arrière et veons chacun jour, combien que pieça ait été soupçonnée et que longuement la chose ait été couverte, palliée et dissimulée, que Jean notre oncle de Berry, Charles notre neveu d'Orléans et ses frères Jean de Bourbon, Jean d'Alençon, Charles d'Albret nos cousins, Bernard d'Armaignac et leurs aidans, confortans, adhérans, alliés et complices, mus et induits de mauvais, inique, pervers et damnable propos ont entrepris, *se sont efforcés et s'efforcent de nous débouter, démettre et destituer de notre État et autorité royale* et détruire du tout à leur pouvoir nous et notre lignée, que Dieu ne veuille, et faire nouvel roy en France qui est chose abominable à ouïr dire et réciter à tous les cœurs de nos bons, vrays et loyaulx subjets : nous voulons à ce pourvoir et obvier en toutes matières à l'aide de Dieu et de nos bons et loyaux vassaux et sujets; vu sur ce très grand et mûre délibération de Conseil avec plusieurs de notre sang et lignage et autres saiges et prudes hommes de notre grand Conseil, nos officiers et aultres, écrivons par devers vous, comme aussi faisons par devers plusieurs autres, nos bons subjets, et vous prions, requérons très instamment et néanmoins mandons si expressément que plus pouvons sur la foy, obéissance, loyauté et amour que vous avez de notre seigneurie et au bien commun de la chose publique de notre royaume, que pour nous aider, conseiller et conforter, ainsi que vous verrez en vos consciences qui se devra faire selon la nécessité que vous voyez et l'oppression que s'efforcent de nous faire les dessus dits qui déjà sont moult près de nous et ont si avant procédé que par force sont entrés en notre ville de Saint-Denis (.....), vous publiez et preschez et faites publier et prêcher solennellement par vos notables suppôts ès églises et ailleurs par notre royaume où bon vous semblera les choses dessus dites, et autrement nous donner conseil, confort et aide comme vous saurez bon aviser et que vous avez toujours accoutumez de faire en toutes choses, touchant notre honneur et l'utilité de notre dit royaume, en prenant, déboutant ou punissant, ainsi que le cas le requierra, tous ceux de vos suppôts que vous verrez et saurez estre aidans, confortans et favorisans aux dessus dits, en telle manière que ce soit exemple à tous autres.

« Donné à Paris, le 14e jour d'octobre, l'an de grâce 1411 et de notre règne le 32e. »

C

Oratio habita die 4 septembris 1413, cui thema erat *Rex in sempiternum vive.* (Gallice in mss. Gallice edita.). Op. Gers. T. IV.

« O Roi très noble et excellent, vivez toujours sans finement. Ce beau salut vous présente votre très humble fille, l'Université de Paris. Mais comment peut-on dire à un roi : vis perdurablement, quand nous mourons tous ? Répondons que le roi a triple vie : vie naturelle ou corporelle, vie spirituelle, vie civile et universelle. Chacune de ces vies a sa perdurabilité. La vie naturelle, laquelle donne l'âme au corps, sera perdurable quand le corps ressuscitera ; la vie spirituelle, laquelle est donnée à l'âme par la grâce du Saint-Esprit, demeure perdurable si on ne pèche point mortellement ; la vie civile ou universelle, laquelle est donnée à un roi par loyal amour du bien public et commun, dure en ce royaume par légitime succession de la lignée royale.....

« Cette salutation par especial, si on demande pourquoi la fille du roy, pourquoi sa bonne ville de Paris, pourquoi son Parlement, pourquoi sa chevallerie et son clergé (car je porte la parole de tous en ce, et j'en aurai bien l'aveu), pourquoi, dis-je, ils la font présentement plus que une autre fois. La raison y est bonne, sire. Les sages clercs disent que servitude est une mort civile. Or qui est ainsi depuis aucun temps ? dont est douleur et horreur à réciter. Vous et votre légitime successeur, monseigneur de Guienne, la reine et outre encore votre chevalerie, votre clergie, votre bonne bourgeoisie esquels git votre vie royale et universelle, étiez comme en servage et en très dure servitude *par l'outrageuse entreprise d'aucuns gens de petit ou de nul estre* qui voulaient donner et quérir leur propre profit... Et proteste que maintenant et autrefois que je ne tiens à vengeance quelconque ou à punition, mais seulement pour la vérité et pour y mettre provision au temps futur. Ainsi je fais ici, de par votre bonne ville de Paris en especial cette imprécation de bon cœur, volontaire et entière, que par la miséricorde que Dieu votre souverain seigneur vous a faite, par considération du jugement de Dieu quand il parlait à Abraham sur la destruction des cinq cités pécheresses, où il disait que si dix justes s'étaient trouvés en la cité, il épargnerait icelle ; sire, par cette grâce et par cette considération, que non pas dix, mais dix mille sont en votre bonne ville de Paris, veuillez pardonner et abolir tout le mefaict sans punition, autant que vous verrez qu'ils en auront repentance.....

« Cette protestation et supplication faite contre le murmure d'aucuns qui peuvent imputer ce que nous disons à cruauté et vengeance, disons pour la vérité connaître que tels gens de petit ou de nul état faisaient prison privée, prenaient, tuaient, meurtrissaient, noyaient par nuit sans quelconque ordre et forme de procès et corruption d'argent. Or étaient tels gens qui tenaient, sire, vous et toute votre royale lignée en telle vile et servile oppression et trop plus que je ne puis ou veux raconter. Mais, Dieu merci, toute leur folle entreprise est mise comme au néant. Et tout ceci s'est fait plus par miracle que par voie humaine. Si, devons-nous bien, sire, nous qui voyons confondus et confus les adversaires de votre vie civile et politique royale et universelle, vous saluer en conjouissant et conjouir en vous saluant : *Rex in sempiternum vive.*

« Mais on pourra dire : comment Dieu a-t-il souffert une telle oppression ? Car avisez que l'on eût plus douté et plus obéi à un valet paillard qu'à vous, sire, ou à la reyne, ou à monseigneur le dauphin, ou à toute votre bonne chevalerie, clergie et bourgeoisie.

« Je sais bien que les jugements de Dieu sont incomprenables. Néanmoins, jamais Dieu ne souffrirait mal advenir, s'il n'en voulait aucun bien estre, comme dit saint Augustin. Car si Dieu montra oncques sa puissance, sa sapience en ce royaume, il l'a ici montré. Car soudainement il a séparé les bons d'avec les mauvais et a voulu que le corps de votre fille l'Université, le corps de votre Parlement, le corps de votre clergie de ce diocèse, le corps de votre bonne ville de Paris et de votre bon peuple, soit joint à vous et à votre royale seigneurie. Et si Dieu a permis que cette adversité soit venue, c'est afin, sire, que vous connaissiez vos bons sujets et la foi et la loyauté qu'ils ont eue à votre vie garder. Sire, je puis dire comme expert que en votre fille l'Université sont cent et cent et plus encore jeunes maîtres qui étaient menacés de tuer et d'être détruits ; non pas seulement eux, mais leurs pères et mères et tout leur lignage. Et ils ont mis leur vie et de tous leurs parents pour la vôtre civile et royale garder, pour vous saluer et dire : *Rex*, etc.....

« Toutefois, pourquoi Dieu par aventure a-t-il souffert ce meschief ? C'est afin que nous connaissions tous la différence qui est entre la domination royale et celle d'aucuns populaires. *Car la royale a communément et doit avoir douceur et miséricorde piteuse, mais cueur civil et vilain a toujours domination tyrannique et crueuse.* Si commandait bien Aristote à Alexandre : *nec quos natura jacere præcipit exalta...* Aimez donc, sire, et favorisez tous les bons

sujets maintenant nommés chevalerie, clergie et bourgeoisie, sans les grever par charges intolérables de taille et d'autres oppressions afin que de tout leur cœur ils vous saluent et vous disent : *Rex*... Soient boutés hors entièrement et hâtivement toutes gens d'armes. Quant aux Anglais, soit pourvu par bon traité et autrement. Soit aussi ordonné qu'aucun votre sujet de quelque état qu'il soit, ne fasse alliance chez vos ennemis sans votre congé. Et vous, nos très redoutés et très nobles seigneurs de sang royal, nous vous faisons cette noble supplication, car vous êtes ceux qui estes la couronne. Gardez-vous de mouvoir guerres civiles ou de les continuer, et ayez la parole de Virgile en mémoire :

Neu patriæ validas in viscera vertite vires.

« Ne convertissez point votre vaillance en la destruction de votre pays, car autrement vous seriez contraires.

Hic incipit principale.

« Descendons maintenant plus en particulier de ce que nous avons à dire... En especial, vous, sire, devez avoir telle cure ou sollicitude pour le temps à venir, comment votre royaume sera bien gouverné, à cause de votre postérité ou lignée. Car en ce se fonde principalement la position *qui dit que le royaume se gouverne et se maintient mieux par succession que par élection*. Et d'ailleurs la chose qui appartient le mieux au prince, c'est qu'il soit pensif au bien commun. Nous lisons de Scipion qu'il s'occupait avant tout des affaires de Rome. Saint Jérome, dans sa glose sur cette histoire, dit que Dieu veut révéler ses secrets à un païen pour la cure qu'il avait du bien commun. Et par plus forte raison Dieu révèle aux bons princes plus qu'à un autre. Pourquoi ? *Pour ce que la divine Providence les gouverne en especial*. Et quoique ce soit dit des païens, c'est certain, selon les Théologiens, que les rois et les princes ont angels garde especial outre les autres gens. Et pourquoi ? Pour maintenir la vie politique du roy en état de prospérité comme nous le désirons en disant : *Rex*, etc. »

Sequitur principale (Songe de Nabuchodonosor. La statue, etc.).

« Disons que vous, sire, et votre royaume pouvez être figurés par cette statue et image. Vous qui êtes le roi, êtes le chef d'or et dessous sont vos trois États, chevalerie, clergie, bourgeoisie qui sont signifiés par les trois autres parties de cette statue.

« Etat de chevalerie est comparé à la poitrine et aux bras qui sont d'argent pour leur vigueur et leur strénuité. Clergie se figure par

le ventre et les cuisses qui sont d'airain qui est métal bien sonnant Pareillement doit être en clergie clameur et son de vérité (Quas tuba exalta vocem tuam). Et semble que le ventre ne fasse point de labeur, mais il nourrit les autres membres selon l'introduction que fit un orateur, laquelle je passe.

« Etat de bourgeoisie et des bons marchands et laboureurs est figuré par les jambes qui sont de fer et les pieds qui sont partie de fer et partie de terre *pour leur labeur et humilité en servir et obéir...* »

Après avoir expose les devoirs et les vertus des rois, l'orateur arrive à quatre considérations principales.

« 1° L'autorité royale ne doit point soutenir ou favoriser partialités en son royaume... Sire, cette doctrine vous fut dite autrefois, passé dix ans, avant que cette malheureuse guerre fût mise sus. Cent mille personnes en sont mortes, et votre royaume appauvri et dommaigé de plus de trois millions, et encore autant tiens-je, si Dieu n'eût eu miséricorde.....

« 2° L'autorité royale ne doit pas constituer plusieurs cours souveraines de justice. Autrement faire, serait et a été cause de division et de toute injustice.....

« 3° Autorité royale doit être plus forte en armes et en conseil que aucun de ses sujets. Si doit pour cette chose bien garder tenir gens tant en armes qu'en conseil, comme aussi ès offices royaux qui soient mêmement au roi. Plût à Dieu que cecy eût été bien gardé et ordonné. Soient faits officiers comme supplient et requièrent votre fille l'Université et votre bonne ville. Soient faits de ceux qui ne se ingèrent point, qui ne requièrent point leur profit particulier pour eux enrichir ou les leurs ; qui ne soient à un ou autre seigneur plus qu'à vous ; qui soient faits par bonne élection, sans faveur. Et que on advise gens qui ne soient mie contraints par povreté de piller et de suçer plus fort le sang du peuple, comme il est en la parabole de l'homme playé, qui se dolut quand on osta des mouches estant sur sa playe, car, dit-il, les autres viendront qui seront plus affamées, si me feront plus de douleur. Nous avons vu que la racine principale de notre meschief a été le défaut de cette considération.....

« 4° Autorité royale doit être telle et si souveraine que nul ne peut raisonnablement mouvoir guerre et faire port d'armes sans le congié du roi. Et notez ici que quand on parle du congé du roy, ce congé s'entend qu'il soit réglé suivant la raison ; car si par male information ou autrement aucuns induisent le roy à donner congié de faire injuste guerre, tels ne sont point à excuser mais à blâmer doublement. Pourquoi ? Parce que avec leur iniquité ils se

divisent et enveloppent l'autorité royale. Cette vérité a été offusquée et confondue depuis six ans... »

Cela suffit-il pour que la royauté soit respectée ? Il faut encore qu'elle passe pour inviolable. Voilà pourquoi l'orateur en arrive à condamner les doctrines de Jean Petit.

« On a publié principe à tout bonne police contraire et détruisant toute autorité royale, pourquoi est venue turbation en la chose publique. Appliquons l'histoire d'Actéon qui fut dévoré par ses chiens. Pareillement le peuple voulait dévorer le sang royal et la noblesse... » Vient ensuite l'assertion de Jean Petit : *Quilibet tyrannus*, etc., et la réfutation. L'Université d'ailleurs, suivant Gerson, veille au salut de la royauté.

« L'Université a plus d'yeux qu'Argus. On découvrira tout ; on dira tout, et ne faut point menacier ni occire aucuns. Les autres cent et cent seraient plus animés à garder l'autorité royale. »

Enfin, pour finir comme il a commencé, le discours résume dans plusieurs considérations nouvelles les devoirs des trois états.

« L'état de chevalerie doit avoir loyer et gages publics pour défendre le roy et tout son royaume par vigueur et par force ;

« 2° Il doit être content de ses gages sans faire grevance aux autres états. On a eu tort de dire que les gens d'armes peuvent prendre vivres et autres choses sans payer et restituer ; 3° Il est très à louer s'il fait justement son devoir ; 4° Il doit telle obéissance et défense au roi que pour quelconque mandement du seigneur dessous lequel un chevalier est.

Clergie. — « Il est à reprendre comme cause des erreurs et des maux qui s'ensuivent. Le clergé ne laboure point corporellement, mais il a sa tâche. Si le clergié est empêché de dire la vérité par menaces et craintes, ceux qui les font sont à reprendre et à condamner et ne sont à excuser s'ils errent; car ils errent volontairement et font les autres errer.

Bourgeoisie. — « C'est expédient à l'état populaire qu'il soit en subjection plus que s'il voulait prendre l'état de domination. C'est la déclaration d'Aristote. L'une des raisons est par l'exemple de sensualité et de l'âme en un homme ; c'est expédient que l'âme domine et que la sensualité serve. Il est expédient que l'état populaire soit par les autres plus hauts États gouverné amiablement supporté et favorisé... C'est expédient que le roy qui est le chief d'or ne souffre pas confondre les officiers des membres dessous soy, mais doit labourer que chascun fasse son office. Cette considération profite à déclarer que le chef ne doit pas user des pieds comme des bras en sa défense. *Si ne doit point commander aux popu-*

laires et à l'état de bourgeoisie qu'ils soient armés régulièrement, comme les bras de chevalerie doivent être. *Ce serait confusion*. Si serait l'accoutumance très périlleuse, injuste et dommaigieuse.

« C'est expédient que l'état de bourgeoisie soit maintenu et induit tellement qu'il suive toujours le droit chemin, *le chemin royal*. Cette considération veut dire que le peuple soit content de son état et qu'il se souffre mener par le chief et par les deux états souverains, ou autrement l'ordre du corps mystique de la chose publique serait tout subverti. Nous l'avons naguères expérimenté plus que métier, que *gens qui à peine devaient appartenir aux pieds*, se avancaient de gouverner le chief ; que dis-je ? gouverner, mais confondre et tyranniser. »

Péroraison.

Vidi ac perlegi.

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona.
Kal. Mart. Anno MDCCCLXXXVIII.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

A. Himly.

Typis mandetur.

Academiæ Parisiensis Rector,

Gréard.

Parisiis. — Typ. E. Capiomont et Cti, in via dicta Pictavienses, 6.

IMPRIMERIE E. CAPIOMONT ET C[ie]

6, RUE DES POITEVINS, 6